BIBLIOTECA NAZIONALE
8
g7K
49
VITTORIO MANUELE



Digitized by Google

XVI.G.33

Digitized by Google

DE
CODICE
SANCTI
EUANGELII,

Atque ſervatis in ejus lectione,
& uſu vario ritibus,

LIBRI III.

Præcipua rei Liturgicæ, atque Eccleſiaſticæ Diſciplinæ,
tum Orientalis, tum Occidentalis,
capita complectentes.

AD SANCTISSIMUM PATREM

CLEMENTEM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM

AUCTORE JOSEPHO CATALANO PRESBYTERO.

ROMÆ, Ex Typographia Antonii de Rubeis. MDCCXXXIII.
SUPERIORUM PERMISSU.

BEATISSIME PATER.

Ærenti mihi, BEATISSIME PATER, *cui nam hoſce de Codice Sancti*

Euangelii, atque ſervatis in ejus lectione, ac uſu vario Ritibus libros dedicarem, occurrit ſtatim SANCTITAS TUA, *ad quam utpote Summi Hierarchæ dignitate præſtantem ſacræ res quammaxime pertinent. Neque enim fas erat opus alii commendari, quam ſupremo Catholicæ Eccleſiæ Antiſtiti, atque ei in primis Antiſtiti, qui Majorum Suorum virtutis, ac generis hæres curam, ſtudium, & operam ponere numquam deſinit in divino cultu inſtaurando, Religione conſtituenda, atque Eccleſiæ juribus vindicandis. Quique*

que ita ſapienter, provideque omnia moderatur, ut tria illa, quæ in eximiis quibuſque Principibus Romana quondam Reſpublica deſiderabat, Sanctitas domi, foris fortitudo, utrobique prudentia, *in excelſo animo ipſius certare videantur. Sed ut interim ſileam inſignem* SANCTITATIS TUÆ *erga literas, ac literatos homines benevolentiam, in quorum gratiam, præſantem Bibliothecam veteres Ptolemæos imitatus, congregans de regionibus libros, conſtruxiſti; Ego ut tuo hoc opus immortali Nomine exornarem, inſignia tua*

effe-

effecerunt beneficia, quibus noſtram Brutiorum gentem cumulaſti. In his potiſſimâ dignum memoriâ eſt egregium in Calabria pro Italogræcis Adoleſcentibus Religione, ac bonis artibus erudiendis Collegium erectum. Cui munificentiæ quum parem gratiam referre nequaquam poſſim, conſentaneum duxi publicam aliquam grati animi relinquere teſtificationem; omnibuſque palam facere univerſam Brutiorum gentem eximiæ SANCTITATIS TUÆ *liberalitati ſe maximopere obſtrictam profiteri; hæſuramque perpetuo*

in

in animis noſtris illorum memoriam. Accipe igitur BEATISSIME PATER *gratanti animo hoc Opuſculum, quod tibi veluti obſides propenſiſſimas omnium noſtrum voluntates totius Provinciæ nomine æternum dicat, monimentumque ponit apud nos ære perennius. Licet autem Romanos aliquando Pontifices Euangelii Codice auro, gemmiſque coruſcante Viri Principes donare conſueverint: Quum id Ego præſtare nequaquam valeam, Sacrum Euangelium priſcis ampliſſimi decoris monumentis, aureiſque Eccleſiæ tum Orientalis, tum*

tum Occidentalis Ritibus exornatum SANCTITATI TUÆ *consecro: quam Deus Optimus Maximus Ecclesiæ universæ diu servet incolumem.*

Humillimus Servus
Joseph Catalanus.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

N. Baccarius Ep. Bojan. Viceſgerens.

APPROBATIO.

DEmandante Reverendiſſimo P. Joanne Benedicto Zuanelli Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro attente perlegi librum, cui ſequens titulus præfixus eſt, *De Codice S. Euangelii, atque ſervatis in ejus lectione, ac uſu vario Ritibus &c.* Auctore Joſepho Catalano Presbytero; & illum comperi non ſolum Catholicæ Fidei Dogmatibus, ac Chriſtianæ Diſciplinæ Regulis reſpondentem, quinimmo in eo pervolvendo ſuſpexi Ritus, Cæremonias, & antiquos Chriſtianorum mores, ita eruditè recenſitos, vetuſtiorum Patrum, Sacrorum Conciliorum teſtimoniis, aliiſque priſcis monumentis ita comprobatos, ut ex illius editione magnam Reipublicæ literariæ utilitatem, & clariſſimo Auctori laudem ſperari poſſe confidam; quapropter eum digniſſimum cenſeo, ut prælo tradatur, & publici juris fiat. Datum Romæ ex ædibus S. Silveſtri in Quirinali hac die XVI. Decembris anni MDCCXXXII.

D. Cajetanus Maria Merati Cl. Reg. & Sac. Rituum Congregationis Conſultor.

QUum ex mandato Reverendiſſimi P. Joannis Benedicti Zuanelli Sacri Apoſt. Palatii Magiſtri Librum *De Codice S. Euangelii, atque ſervatis in ejus lectione, ac uſu vario Ritibus*: a Reverendo Joſepho Catalano Presbytero elucubratum diligenter expenderim, nihilque vel Fidei, vel bonis moribus abſonum repererim, immo omnia adeo pie, ſolide, ac docte pertractata, ut magnam lucem aſferant tum ſacris Ritibus, tum veteri, ac novæ Eccleſiæ diſciplinæ; publici juris fieri poſſe cenſeo. In quorum fidem &c. Romæ pridie nonas Decembris MDCCXXXII.

Franciſcus Marianus Vaticanæ Bibliothecæ Scriptor Græcus.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

IN-

INDEX CAPITUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

LIBER PRIMUS.

Operis ſcribendi occaſio, argumentum, & finis. pag. 1
Euangelii Etymon, & definitio. Caput I. 3
De Euangeliorum numero. Caput II. 6
De Euangeliorum Auctoribus. Caput III. 7
Cur Chriſtus Euangelium ipſe non ſcripſerit? Caput IV. 9
Cur non unus Euangelii ſcriptor, ſed plures? Caput V. 10
De peculiaribus Euangelii ſcribendi cauſſis. Caput VI. 12
Qua lingua ſcripta ſint Euangelia. Caput VII. 13
De Locis, atque temporibus quibus Euangelia ſunt ſcripta. Caput VIII. 15
De Ordine Euangeliſtarum. Caput IX. 16
De Euangeliſtarum Symbolis. Caput X. 17
De Euangelio S. Joannis cæteris præcellenti. Caput XI. 18
De præeminentia Euangelii ſupra cæteros ſacros libros. Caput XII. 20
De Scriptoribus Concordiæ Euangelicæ, ac ſacris Euangeliorum Interpretibus. Caput XIII. 21

LIBER SECUNDUS.

Quo primum tempore Euangelium in Miſſa legi cœptum. Caput I. 23
Euangelium qua lingua lectum in Miſſa. Caput II. 31
Euangelium qui olim in miſſa legerent. Caput III. 34
Euangelii lectio ſolemnis Imperatoribus conceſſa. Caput IV. 37
Euangelii lectio in miſſa fœminis vetita. Caput V. 39
Euangelium in qua olim Eccleſiæ parte legeretur? Caput VI. 42
Diaconus quibus ornatus veſtibus Euangelium legeret? Caput VII. 50
De Sandaliis. Caput VIII. 54
De Amictu, Alba, & Cingulo. Caput IX. 55

De Manipulo, & Stola. Caput X. 58
De Dalmatica, & Caſula. Caput XI. 65
De ritu deferendi Euangelium ad Altare, benedictionis petendæ, ac procedendi ad lectionem Euangelii. Caput XII. 66
De uſu Thuris, Cereorum, Crucis, & Pulvinaris ad lectionem Euangelii. Caput XIII. 71
De ritu indicendi ſilentium quum Euangelium legitur. Caput XIV. 77
De ritibus a Diacono ſervandis quum Euangelium nuntiat, ac primum de ſalutatione, Dominus Vobiſcum. Caput XV. 81
De ritu exprimendi Crucis ſignaculum, quando Euangelium nuntiatur. Caput XVI. 83
De ritibus a Clero, & populo in Euangelii lectione ſervandis, ac primum de verbis Et cum ſpiritu tuo. Caput XVII. 84
De verbis Gloria tibi Domine, *ac de Crucis ſigno a populo expreſſo ad lectionem Euangelii.* Caput XVIII. 86
De ritu ponendi baculos, dum Euangelium legeretur. Caput XIX. 88
De ritu nudandi enſes ad lectionem S. Euangelii. Caput XX. 93
De ritu ſtandi quo tempore Euangelium nuntiatur; ac de Pallio, & Mitra Epiſcopi ad ejuſdem lectionem depoſitis. Caput XXI. 94
An etiam fœminis ſtandum, quando Euangelium pronuntiatur? Ac de iis qui genuflexi, vel ſedentes ipſum auſcultant. Caput XXII. 102
De ſtandi ritu ad tria Euangelii cantica, ac toto divini officii tempore juxta veterem Eccleſiæ morem. Caput XXIII. 106
De ritu aperiendi caput ad lectionem Euangelii. Cap. XXIV. 110
De ritibus poſt Euangelii lectionem ſervatis, ac primum de acclamationibus Amen, Deo gratias, *& aliis.* Cap. XXV. 119
De ritu exprimendi rurſus Crucis ſignum. Caput XXVI. 120
De ritu Oſculandi Euangelium. Caput XXVII. 121
De ritu ſigillo obſignandi Euangelium poſt ejus lectionem. Caput XXVIII. 125
De ritu concionandi proxime poſt Euangelii lectionem. Caput XXIX. 128
De ritibus ab Epiſcopo in concionando ſervatis. Caput XXX. 130
Euangelium prædicandi proprium Epiſcoporum munus. Caput XXXI. 132

Evangelio ſuper Altari locato æqualis honor, ac Chriſti Cruci delatus. Caput I. 134
Euangelium in Proceſſionibus delatum, præcipue Dominica Palmarum. Caput II. 137
Euangelii textus una cum Chriſti Corpore in Sepulcro aſſervatus, quod feria v. *Hebdomadæ ſanctæ, in ipſius memoriam quotannis fieri ſolet.* Caput III. 140
De ritu Euangelium legendi ad pedum lotionem, quam vocant Mandatum, *feria quinta Cœnæ Domini.* Caput IV. 144
De ritu deferendi Euangelium in Proceſſione matutina die Paſchatis; ac de ipſius uſu apud Græcos in ſalutatione per fraternum oſculum eadem die. Caput V. 147
De ritu recitandi Euangelium in Litaniis; alicubi ad præcipuas Civitatis Portas. Caput VI. 152
De ritu legendi Euangelium ad Aquæ benedictionem, quæ fit in pervigilio Epiphaniæ. Caput VII. 155
Euangelium in æris campani benedictione lectum. Cap. VIII. 159
Euangelii uſus in exorciſmis ad Dæmones ab Energumenis expellendos. Caput IX. 164
In Conciliis tum Generalibus, tum particularibus Sacri Euangelii codex in præcipuo, atque honorificentiſſimo collocatus Throno. Caput X. 167
Euangelium in Judiciis profanis pro Tribunali poſitum. Caput XI. 170
Sacri Euangelii uſus in purgatione Canonica. Caput XII. 171
Ad Euangelium juramenta edita, eodemque res graviſſimæ confirmatæ. Pœna a legibus in perjuros conſtituta. Cap. XIII. 174
In electionibus Epiſcoporum, Abbatum, & Regum Euangelium adhibitum. Caput XIV. 176
Codex Euangelii ſupra Caput Epiſcopi conſecrandi impoſitus, & cur? Caput XV. 177
Euangelium aureis literis conſcriptum, ac gemmis pretioſiſſimis exornatum. Caput XVI. 179
Euangelii liber auro gemmiſque ornatus a Viris Principibus dono miſſus Pontificibus Maximis, vel Epiſcopis. Parte item Euangelii pretioſis incluſa thecis a Summis Pontificibus donati Viri Principes. Caput XVII. 181

Euan-

Euangelium lotis manibus attrectatum, aperto capite, ſtando, ac lumine adhibito lectum. Caput XVIII. 183
Euangelico ſcribendo codici homines delecti. Idem vetuſtate detritus in ſacrarium conditur. Caput XIX. 185
Euangelium præcipua Clericorum ſupellex, a pleriſque tamen neglectum. Caput XX. 188
Euangelium Domi ſervatum diabolum arcet. Ejus lectio utilis omnibus, ac neceſſaria; a pueritia olim uſitata. Caput XXI. 191
Euangelia initia Catechumenis olim expoſita. Caput XXII. 194
Euangelium ſorte apertum, lectumque, vel auditum ad indagandam Dei voluntatem, bonumque futurum, vel malum prænoſcendum. Caput XXIII. 196
Per delectum codicis Euangelici in Martyrio conſtantia noſcitur. Caput XXIV. 200
Per Euangelici Codicis delectum inter pretioſa monilia & armillas explorata puellæ Virginis futura Sanctitas. Caput XXV. 202
Euangelii lectio atque explicatio ad diſcernendum ſpiritum aliquando præcepta. Caput XXVI. 203
Euangelii Codex e lectis Chriſtianorum ſuſpenſus. Caput XXVII. 204
Sacræ Euangelii paginæ e collis Chriſtifidelium ſuſpenſæ. Caput XXVIII. 205
Euangelium a Chriſtianis geſtatum Martyres facit, a naufragio liberat, Virginitatem ſervat, luxuriam domat. Caput XXIX. 208
Euangelium ignem extinguit, & barbaros ad Chriſtum convertit. Caput XXX. 211
Euangelium corporis morbos, & animi languores pellit. Caput XXXI. 212
Lecto Patri Euangelio filius cæcus viſum recipit. Caput XXXII. 214
Euangelicus Codex aquis demerſus nulla litera violatus pulchrior educitur. Caput XXXIII. 215
Euangelium diſcordias ſedat; Tyrannorum impetus comprimit. Caput XXXIV. 216
Septem Euangelia a totidem Sacerdotibus apud Græcos recitata in Officio S. Olei, quod pro conferenda ægrotanti extrema unctione

ne domi, vel in Ecclesia celebratur, Codex Euangelii super ungendi caput primus impositus, ipsi deinde osculandus porrigitur. Caput XXXV. 217
Euangelium morientibus lectum. Caput XXXVI. 219
Viri Sancti Euangelii Codicem tenentes, eoque fidem profitentes vita functi. Caput XXXVII. 221
Sacer Euangelii liber vita functis consepultus. Caput XXXVIII. 223
Frustra ab Ethnicis Imperatoribus, Sacris Euangelii Codicibus bellum indictum. Christianorum in illis retinendis & occultandis constantia. Traditores qui? Caput XXXIX. 224
Euangelium adulterantes qui? Illius Prædicatores decet quammaxime, ut a temporali quæstu sint immunes. Caput XL. 227
Euangelicæ historiæ in Christianorum Templis, ac Cœmeteriis pictæ. Inter sacra Ecclesiæ ornamenta expressæ. Abusus in rebus divino ministerio addictis profana insignia collocandi refellitur. Caput XLI. 232
Mulierum abusus, quæ sacras Euangelii historias profanis vestibus intexebant, adpingebantque refellitur. Caput XLII. 237

In defenſionem Euangelii poſitus ſum.

Ad Philippenſes cap. I. verſu XVI.

Scire autem vos volo Fratres, quia quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Euangelii.

Ibid. verſu XII.

Omnia autem facio propter Euangelium, ut particeps ejus efficiar.

1. ad Cor. cap. IX. verſu XXIII.

DE

DE CODICE SANCTI EUANGELII

ATQUE SERVATIS IN EJUS LECTIONE, ET USU VARIO RITIBUS

LIBER I.

Operis ſcribendi occaſio, argumentum, & finis.

CUm non ita pridem in lecta doctorum virorum corona, de nonnullis Catholicæ Eccleſiæ ritibus ſacris haberetur ſermo, ac multa ultro citroque proponerentur, quæ ad ingerendas, vel diſcutiendas difficultates objectas videbantur conducere, quædam de ſacro etiam Euangelii Codice, debitaque illi reverentia, præſertim cum publice in Eccleſia adſtanti populo legitur, dicta ſunt. Ubi autem ſuam ſinguli aſſeruere ſententiam; & quæ potior ſolidiorque ex his merito eſſet habenda, diſquiritur, non pauca ab iis qui aderant docte, quædam gravibus difficultatibus obnoxia, nonnulla etiam abſurde pronuntian-

tur. Quæ tamen, ut fieri ſolet, dum quiſque pro partium ſtudio mordicus tuetur, vel exagitat, ut labefactatæ, vel aſſertæ veritati eſſet pondus gravius, dictorumque fides validis undecumque inſtructa rationibus, atque momentis fuleiretur, optimum factu duxi quæ uno tenus ore diſſerueram, auctis deinde ſtudio, & opera, ſcripto excipere. Id autem dum exequor, ita paullatim labor excrevit, ut ſenſim ad juſtam libri molem pervenerit.

Huic ut certus eſſet ordo, conſtitutoſque fines haberet pertractata materia, *De Codice Sancti Euangelii, atque ſervatis in ejus lectione, & uſu vario ritibus*, titulum præfixi. Pauca ſubinde veluti argumento conſectaria, de Euangelii etymologia, definitione, aliiſque ſcitu dignis quæſtionibus, quæ rem univerſam illuſtrarent, adjeci. Quod eo item conſilio factum eſt, ne legentium animus huc illucque diſtraheretur, ſi nullis coercita limitibus vagaretur oratio. Nihil ſiquidem magis ad pertractatæ rei exactam notitiam ducit, quam dictorum methodus, ac certa diſſerendi ratio: libenterque illa diſcimus, nec facile modo, verum etiam conſtantiſſime retinemus, quæ opportunis ſectionibus, riteque diſpoſita, & illuſtrata doctrina tradi ſolent. Æquiſſimum ſectanti propoſitum validiores ſtimulos ſuſcepti operis finis addidit. Quum enim qualicumque labore noſtro divinæ gloriæ incrementum, & venerationis erga ſacrum Euangelii Codicem, atque divinæ ipſius doctrinæ ſtudium magis magiſque promovendum, unice a nobis ſpectatum ſit, vehementiora ad id ſuppetere incitamenta non poterant.

Euangelii Etymon, & deſinitio.

CAPUT I.

EUangelium græce, bonum ſive lætum nuntium ſignificat, ab εὖ, quod eſt *bene* ſeu *feliciter*, & ἀγγελία: quod idem eſt ac nuntius. Jure autem meritoque Chriſtiani Jeſu Chriſti ſermonem, atque doctrinam Euangelium appellarunt: quod inde paſſim felicitas æterna mortalibus nuntiatur; ut probe ſentit Tertullianus. l. IV. contra Marcion. cap. III. Hinc S. Auguſtinus l. II. contra Fauſtum cap. VI. *Omnes*, inquit, *qui græce vel tenuiter noverunt, Euangelium bonum nuntium, aut bonam annuntiationem interpretantur.* Quid autem gratius, aut melius, quam gratiæ per Chriſtum factæ annuntiatio? Euangelia Græcis ipſis dicta ſunt ſacrificia, & ſupplicationes, quæ pro læto jucundoque nuntio decerni conſueverunt, vel etiam merces hujuſmodi allati nuntii: *O ſuaves*, ait Cicero ad Atticum lib. II. epiſt. XII. *Epiſtolas, quibus Euangelia deberi fateor.* Non deſunt tamen qui ab hebraica voce אבן *Even*, ideſt *Petra*, & גיליון *Ghilion*, ideſt *manifeſta* etymologiam ducunt, quia in Euangelio generi humano verus miſſus manifeſtatur, qui eſt angularis lapis a perfida Synagoga reprobatus. Joannes Baptiſta Jona in procemio Euangeliorum, quæ hebraice reddidit, eam nomini ſignificationem aſſerit adverſus Rhabbinum improbum, qui Euanghelion, ideſt manifeſtam offenſam fraudolenter, atque calumnioſe fuerat interpretatus. Videtur itaque Euangelium non abſurde dici poſſe bona nuntiatio inſtinctu Spiritus Sancti conſcripta, tractans peculiariter de adventu, & myſteriis Jeſu Chriſti, tradens cæleſtem ejus doctrinam, quæ homines ducit ad vitam æternam.

Quæ autem bona Euangelio nuntientur, fuſe, atque

que elegantissime ostendit S. Joannes Chrysostomus homilia prima in Matthæum, cujus verba digna profecto sunt quæ hic describantur: „ Euangelium (inquit) pœnarum sublationem, veniam peccatorum, sanctificationem, atque justitiam, redemptionem, adoptionem, etiam filiorum, & Cælorum hæreditatem, & cum Dei Filio fraternitatem omnibus, tum inimicis, tum improbis, & in tenebris sedentibus nuntiavit. Numquid possit esse æquale his tam bonis nuntiis? Deus in terris, homo in Cælo: facta est omnium una permixtio: Angeli cum hominibus jungebant choros; homines choris addebantur Angelicis, atque cælestibus aliis, supernisque virtutibus. Erat cernere antiquum repente prælium dissolutum; Deum hominibus reconciliatum; Diabolum vero confusum; Dæmones cum tremore fugientes, mortem peremptam, Paradisum apertum, maledictionem remotam, peccatum de medio sublatum, exagitatum errorem, veritatem reversam, pietatis sermonem ubique seminatum, ubique crescentem; cælestem conversationem in terræ regione plantatam; virtutes supernas familiariter nobiscum loquentes, & ad terras sæpe Angelos ventitantes; exque his spem firmam futurorum „ Ita S. Joannes Chrysostomus.

Opportune hoc loco refellendus est error Brentii semilutherani, qui (ut refert Petrus Annatus) cum Bucero, Melanchthone, suoque duce Luthero, & aliis Euangelium legem esse inficiatur, ea potissimum de caussa, quod Euangelium nihil prorsus præcipiat nobis, sed solum annuntiet, nihilque sit aliud, quam lætum ac bonum de Jesu Christo Dei Filio nuntium, qui solus suæ passionis merito est peccatorum nostrorum expiator, animarumque nostrarum Servator unicus. Atque hac via perditi ejus sectæ homines ab omni se bonorum operum obligatione liberos contendunt: in hoc sibi non constantes, quum nullum

lum esse discrimen asserunt inter consilium, & præceptum; nec ullum esse in Euangelio consilium, sed omnia quæ nobis commendantur, esse præcepta. Deus bone! Quis non videt quam inepte garriant, eorumque dicta inter se mirifice pugnent? Quomodo enim sine contradictione dici potest, nihil præcipere nobis Euangelium, seu nullum in Euangelio præceptum esse, & tamen omnia nobis in Euangelio commendata, non consilia, sed præcepta esse? Licet autem Euangelium, bonum ac lætum de Christo nuntium dicatur, non tamen sequitur legem dici nequaquam posse; nam, ut sapienter notat Annatus, Euangelium multipliciter sumi potest, & re ipsa in multiplici sensu sumi solet in Scriptura divina. Primo enim accipitur pro re ipsa bona, ac læta, quæ nuntiatur, ut dum Matthæi cap. IV. dicitur: *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens & prædicans Euangelium Regni*. II. pro ipsa Christi doctrina, seu verbo, quemadmodum Matthæi cap. XXIV. *Prædicabitur hoc Euangelium Regni in universo Orbe*. III. pro ipsa prædicatione; & sæpe hoc sensu ab Apostolo usurpatur, ut exempli causa in prima Corinthiorum cap. IV. *In Christo Jesu per Euangelium Ego vos genui*. IV. Denique pro historia adventus, & vitæ Christi, ut Marci cap. I. *Initium Euangelii Jesu Christi*. Quando autem Euangelium Christi legem esse dicimus, Euangelii nomen usurpamus pro Christi doctrina, pro Christi verbo, in quo est lex Christi, lex nova, lex Gratiæ, lex vera, de qua recte dici potest illud Psalmi CXVIII. *Lex tua veritas*.

De

De Euangeliorum numero.

CAPUT II.

QUatuor esse Euangelia, nec plura, nec pauciora, catholica tenet Ecclesia, nempe Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Reliqua pseudoeuangelia ab hæreticis conficta, aut a pseudoeuangelistis evulgata, quæcumque illa sint, veluti apocrypha, falsa, nulliusque auctoritatis haberi decernit S. Gelasius Papa in Synodo LXX. Episcoporum Romæ habita, recitata a Gratiano in canone: *Sancta Romana*. distinctione XV. Ibi post vera atque germana, multa pseudoeuangelia enumerat, quæ nunquam ab Ecclesia fuere recepta. Alii alia, ac multo etiam plura id genus mercis falsæ recensent. Non defuerunt tamen hæretici, qui omnia Euangelia repudiarent, veluti Manichæi, qui ea ab impostoribus scripta mentiti sunt. Alii ab Apostolis quidem, sed præter veritatem composita, ideoque parvæ fidei dixerunt. Cerinthus Matthæi dumtaxat; nonnulli Marci; Valentiniani, quorum sectator Lutherus extitit, solum Joannis Euangelium agnoverunt. Lutherus enim, præfatione in novum testamentum, ut sui jactant, quinti Euangelii auctor, tribus prioribus Euangeliis Pauli epistolas præfert, unicum vero Joannis pulchrum, verum, & præcipuum decernit. Sed quatuor, ut monuimus vera, atque germana esse Jesu Christi Euangelia, ab initio semper Ecclesia docuit; cujus etiam quaternarii numeri mysticas rationes varii Sancti Patres reddiderunt. S. Augustinus lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. II. id factum esse ait ob quatuor mundi plagas, quibus prædicandum erat Euangelium. Huc alii Patres referunt quatuor flumina Paradisi. Geneſis cap. II. quatuor rotas in quadriga Domini. lib. III. Regum cap. VII.

qua-

quatuorque illas quadrigas, de quibus loquitur Zacharias, cap. VI. quatuor tandem animalia plena oculis visa ab Ezechiele, & Joanne, trahentia currum, cui majestas divina insidet; ideſt Euangelium, in quo maxime illa elucet. Alii alias non dissimiles causſas referunt, easque ad viginti recenset Joannes de Haye in tractatu, De Euangelio.

De Euangeliorum Auctoribus.

CAPUT III.

EUangeliorum Auctor primus, atque præcipuus est Deus Optimus Maximus, quemadmodum & cæterarum sanctarum Scripturarum, quæ summam ab eo auctoritatem, ac fidei pondus sumunt. Instrumentales vero auctores, ut loquuntur, sunt homines, quorum opera, & manu ad Bibliorum scriptionem Deus usus est; illis enim non modo sensum, sed etiam verba, sententias, ordinemque dictavit. Unde Paulus epistola II. ad Timotheum cap. III: *Omnis*, inquit, *scriptura divinitus inspirata*. Et Apostolorum Princeps epistola II. capite I. *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. Locuti non tantum voce, sed etiam scripto. Atque ut de Euangeliis potissimum differamus, placet luculentum Sancti Ambrosii testimonium afferre sic ajentis proœmio in Lucam: *Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes non conati sunt, sed divino Spiritu ubertatem dictorum, rerumque omnium ministravit, sine ullo molimine impleverunt*. Unde patet Euangelistas nihil de suo ad Euangelii descriptionem contulisse, sed divinum Spiritum ipsis sine ulla fere industria omnia, quæ scribebant, uberrime subministrasse. *Nihil*, inquit S. Joannes Chrysostomus,

mus, *temere in scripturis positum est, quippe quæ Spiritu Sancto prolatæ sunt*. Quod & vox illa titulo Euangeliorum præfixa, exempli gratia: *secundum Matthæum*, insinuare videtur; significat enim, ut recte observat Cornelius a Lapide in Euangelium S. Matthæi, primum, & primarium Euangelii hujus Auctorem esse Spiritum Sanctum; secundarium vero Sanctum Euangelistam, qui fuit quasi organum, instrumentum, & calamus Spiritus Sancti, scribens ea quæ Spiritus Sanctus dictabat; juxta illud Psalmi XLIV. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. At hic opportune quæri potest, quis auctor sit ejus tituli, qui cuique Euangelii libro præfigitur, nimirum *secundum Matthæum*. Nonnulli putant eum fuisse ab Ecclesia additum: alii contendunt indicem esse ipsius Euangelistæ. Quæ sententia videtur mihi longe probabilior, tum quia & Prophetæ suum propheticis libris nomen præfixere, ut *visio Isaiæ*, *verba Jeremiæ* &c. tum etiam quia nec apud Judæos, vel Gentiles meritam habuissent auctoritatem ea volumina, quæ scriptoris sui nomine caruissent.

Ut autem sciamus, exempli gratia, Euangelium vere adscribi S. Matthæo, illudque vere esse scripturam a Spiritu Sancto dictatam, opus est Ecclesiæ judicio, ac definitione, quæ librum canonicum esse decernat. Quapropter sapienter S. Augustinus libro contra epistolam Manichæi, quam vocat fundamenti cap. IV. *Euangelio*, ait, *non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas*. Non quod dignior, aut major sit Ecclesiæ auctoritas, quam sacræ scripturæ, cum hæc sit verbum & oraculum Dei ipsius, sed quod Ecclesiæ sit veram sacram Scripturam a falsa & supposititia segregare, & judicare; ejusque genuinam mentem, & sensa explanare. (Cum ergo dicimus, ait quidam gravis Auctor apud Cornelium a Lapide in Matthæum, Euangelistas & cæteros Scriptores

res ſacros eo modo, quo dictum eſt, ab Eccleſia Catholica auctoritatem habere, nullus offendi merito debet, quaſi Deo Eccleſiam anteponamus. Sic enim dicimus Eccleſiam ſcripturis auctoritatem dare, quod eas a Deo datas eſſe declaret, & ab ipſo dictatas eſſe confirmet. An domino ſervum præponunt, qui vulgo dicunt literas regias a Nomophylace, qui ſigillum adhibuit, auctoritatem habere? Eccleſia profecto Dei ſigillum habet, illum ipſum Spiritum, qui Eccleſiæ promiſſus, & datus eſt, ut cum illa maneret in æternum, quique ſuam manum, ſcripturamque recognoſcit. Hic eſt, qui quatuor hæc Euangelia primum dictavit: deinde nobis eadem a ſe dictata fuiſſe per Eccleſiam declaravit.

Cur Chriſtus Euangelium ipſe non ſcripſerit?

CAPUT IV.

QUum autem quæritur, quare Chriſtus Euangelium, quod, ut Tridentini Concilii Patres Seſſione IV. loquuntur, proprio ore primum promulgavit, propria ipſe manu non ſcripſerit, contentus uno tenus ore, ſive pro concione, ſive privatis colloquiis inſtituiſſe populos? cauſſa eſſe poteſt, eum maluiſſe in tabulis cordis carnalibus, quam in lapideis, vel libris Euangelium conſcribere, juxta illud Jeremiæ vaticinium, capite XXXVII. cujus non ſemel meminit Apoſtolus, epiſtola ad Hebræos capite X. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam illam.* Vel dicendum, peculiari id Dei providentia accidiſſe, ne in errorem minoris faciendi, parvique æſtimandi cætera Prophetarum, ac Apoſtolorum ſcripta laberemur. Cæterum Euangelia, quæ Euangeliſtæ exararunt; tamquam Jeſu Chriſti opera,

digito Dei, ideſt divino Spiritu dictante ſcripta nos ſuſcipere, & venerari debere, diſertis verbis docet S. Auguſtinus libro 1. de conſenſu Euangeliſtarum, capite ultimo. „ Omnibus autem diſcipulis ſuis per hominem, quem aſſumpſit, tamquam membris ſui corporis caput eſt. Itaque cum illi ſcripſerunt, quæ ille oſtendit, & dixit, nequaquam dicendum eſt, quod ipſe non ſcripſerit, quandoquidem membra ejus id operata ſunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de ſuis factis, & dictis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis tamquam ſuis manibus imperavit. Hoc unitatis conſortium, & in divinis officiis concordium membrorum ſub uno capite miniſterium quiſquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus diſcipulis Chriſti, in Euangelio legerit, quam ſi ipſam manum Dei, quam in proprio corpore geſtabat, ſcribentem conſpexerit. Sic ille.

Cur non unus Euangelii ſcriptor, ſed plures?

CAPUT V.

QUid autem neceſſe fuit quatuor Euangeliſtarum opera, quatuor ſcribi Euangelia, an non ſufficiebat ab uno ſcriptore cuncta memorari? Satis quidem erat, inquit S. Joannes Chryſoſtomus homilia prima in Euangelium Sancti Matthæi; ſed quum quatuor ſint, qui Euangelia conſcribebant, nec iiſdem certe temporibus, nec iiſdem locis, neque pariter congregati, neque mutuo colloquentes, & quaſi uno ore omnia pronuntiantes, fit hoc ſine dubio veritatis grande documentum. At inquis, contra accidit, in multis enim diverſi inveniuntur, ac diſſoni: Imo hoc ipſum, ſubdit laudatus Chryſoſtomus, maximum eſt teſtimonium veritatis; ſi enim ex toto, &

in

in omnibus consonarent, nimiaque diligentia, & cura, itemque ad tempora, & loca omnia, ad singula denique æqualiter verba concurrerent, facile inimici credidissent illos communi ad decipiendum consilio congregatos, ex humana quadam conspiratione Euangelium condidisse: nec simplicitatis, & integritatis validum argumentum spectata in singulis concordia judicarent: nunc autem quæ videtur in rebus exiguis dissonantia, ab omni illos suspicione liberat, satisque perspicue scribentium integerrimam scriptionem, fidem, & nomen tuetur. Si vero aliquid de temporibus, ac locis varie dixerunt, nihil quidem dictorum officit veritati; sed tamen, prout donavit Deus, progredientes etiam ista declarare tentabimus. Ita Chrysostomus, qui præterea monet, ut diligenter notemus, præcipuis illis capitibus, in quibus vita nostra, & prædicationis summa consistit, nusquam Euangelistarum aliquem vel in minimo dissidere. Itaque licet quatuor sint Euangelia, si numerus eorum, qui scripserunt, inspicitur, unicum tamen ex iis, quæ scripta sunt, dicitur Euangelium. Quum enim eadem loquantur omnes, nec alter alteri repugnet, sicut unus est Christus, una Fides, una Ecclesia, sic apud omnes nationes unum & idem est Euangelium, licet a pluribus Euangelistis conscriptum. Id passim docent veteres Ecclesiæ Patres, divinarumque scripturarum Interpretes. Quos inter S. Remigius in Matthæi Euangelium hæc habet. „ Sicut una Fides, & unum Baptisma, ita unum Euangelium; quia una est doctrina, & quod ipse Dominus manifestat, cum dicit: *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ*. Et nos quotiescumque plurali numero dicimus Euangelia, nec doctrinam dividimus, sed libros distinguimus.

De peculiaribus Euangelii ſcribendi cauſsis.

CAPUT VI.

QUamquam vero in maximum veritatis teſtimonium quatuor Euangelia a Matthæo, Marco, Luca, atque Joanne ſint conſcripta; adhuc tamen ſinguli peculiarem ſcribendi cauſſam habuerunt. Quæ Matthæo literis Euangelium conſignandi occaſio fuerit, prodit Auctor operis imperfecti, procœmio in Matthæum, ſic inquiens „ Cum facta fuiſſet in Palæſtina perſecutio gravis, ut periclitarentur diſpergi omnes, ut carentes forte doctoribus fidei, non carerent doctrina, rogarunt Matthæum, ut omnium verborum, & operum Chriſti conſcriberet eis hiſtoriam, ut ubicumque eſſent futuri, ſecum haberent fidei ſtatum. Quæ ratio multo magis viguit, ut animadvertit Nicephorus libro II. hiſtoriæ capite XXV. quo tempore Apoſtolus ad gentes promulgandi Euangelii cauſſa properavit: ab ſe enim ſcriptum Hebræis relinquens Euangelium, hujuſmodi fidiſſimo chriſtianæ doctrinæ pignore, ſuam veluti abſentiam compenſavit. *Marcus vero*, ait S. Hieronymus, de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, in Marco, *diſcipulus, & interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a Fratribus breve ſcripſit Euangelium, quod cum Petrus audiſſet, probavit, & Eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit*. Lucam quoque permotum ad ſcribendum Euangelium, occaſione pſeudoapoſtolorum, qui in Græciæ regionibus circumvagantes, fabulas quaſdam, atque genealogias perniciosas, & quæſtiones diſſeminabant, conjicit magnus Annalium parens Baronius anno XVIII. ex Pauli epiſtola ad Titum, & ex altera ad Corinthios; profe-

profecto quod improbaret quæ ab aliis narrata eſſent, ſe iccirco ſcriptionem inſtituiſſe, ipſe Lucas in præfatione ad Theophilum ſignificat: ubi pſeudoapoſtolos, ac pſeudoſcriptores ſugillat, quos Cerinthum, & Merinthum, alioſque ejuſdem farinæ homines fuiſſe tradit S. Epiphanius hæreſi 21. Quod tandem ad cauſſam pertinet, quæ S. Joannem Apoſtolum ad ſcribendum impulit, duplicem affert S. Hieronymus, de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, in Joanne, & proœmio in Matthæum; alteram nimirum ut confutaret Cerinthum, Ebionem, & alios Chriſti divinitatem negantes (quam etiam tradunt omnes fere Patres) alteram, quod cum legiſſet Matthæi, Marci, ac Lucæ volumina, eoſdemque reperiſſet, unius tantum anni, in quo & paſſus eſt, poſt carcerem Joannis Baptiſtæ hiſtoriam texuiſſe, ipſe prætermiſſo illo anno, cujus acta a tribus expoſita fuerant, ſuperioris temporis, antequam S. Præcurſor clauderetur in carcerem, geſta narrare voluerit.

Qua lingua ſcripta ſint Euangelia.

CAPUT VII.

MAtthæi Euangelium hebraïco ſermone fuiſſe conſcriptum, reliqua vero tria græco, conſtanter affirmant eximii Eccleſiæ doctores Hieronymus, & Auguſtinus: improbanda proinde, ac refellenda eſt opinio Cajetani Cardinalis, itemque Anabaptiſtarum, qui audacter aſſerunt Matthæum græce Euangelium ſcripſiſſe. Enimvero præter memoratos Patres, quorum mox teſtimonia proferemus, cæteri quoque omnes uno ore affirmant S. Matthæum ſcripſiſſe hebraice, utpote rogatum a Judæis, ut quæ ore prædicaverat, ſcripto relinqueret. De Marco græce, an latine ſcripſerit, a multis dubita-

bitatum est; ea de re Paganinus Gaudentius Pisanus præcipuam dissertationem adornavit, magno Etruriæ duci inscriptam, qua contendit S. Marcum primum latine Euangelium Romæ exaraſſe, deinde græce Aquilejæ. Sed ut verum fatear, validiora meo judicio videntur illorum argumenta, qui græce eum scripsisse propugnant: quod diserte narrat S. Hieronymus præfatione in Euangelistas ad Damasum Pontificem maximum, his verbis: *De novo nunc loquor Testamento, quod græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Euangelium Christi hebraicis literis edidit*; additque se hac de causſa jussu Damasi veterem vulgatam versionem latinam novi Testamenti, ac subinde Euangelii S. Marci correxisse, secundum græcum autographum. Idem aperte docet S. Augustinus libro 1. de consensu Euangelistarum capite secundo: *Matthæus hebræo descripsisse perhibetur eloquio, cæteri græco*. Non me latet plures contendere Marcum, utpote Romæ a Romanis rogatum, latine, non græce Euangelium edidisse; sed tantam argumento vim non esse, facile deprehendemus, si animadvertamus magnum tunc Romæ fuisse usum linguæ græcæ; tum, quod passim Senatores, aliique diversi Ordinis viri illam discerent, tum etiam quod multi Græci in urbem confluerent. Unde gravissima ilia querela Satyrici, Satyr. III. vers. LX.

..... *Non possum ferre Quirites*
Græcam Urbem, quamvis quota portio fæcis Achææ
Jam pridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes.

At non viri modo, sed & feminæ primo Christi sæculo græcæ linguæ notitiam Romæ, & alibi in Italia affectabant, eodem teste Juvenale Satyr. VI. v. CLXXXV.

Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla
Formosam, nisi quæ de Thusca Græcula facta est?
De Sulmonensi mera Cecropis, omnia Græce,

Cum

Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine.
Hoc ſermone pavent, hoc iram, gaudia, curas
Hoc cuncta effundunt animi ſecreta.

Utraque tamen ſententia conciliari facile poteſt, ſi dicatur cum Alberto Magno, Marcum tum Græco, tum Latino ſermone ſcripſiſſe, quod in Italia utriuſque linguæ homines periti degerent.

De Locis, atque temporibus quibus Euangelia ſunt ſcripta.

CAPUT VIII.

NUnc de locis, atque temporibus, ubi, & quibus primum Euangelia ſunt ſcriptis mandata breviter dicam. Matthæum Hieroſolymis in Judæa ſcripſiſſe tradit Euſebius, anno, ut Cornelius a Lapide ſupputat, ab ortu Salvatoris, ſeptimo atque triceſimo. De Marci Euangelio Romæ edito, præter unum, aut alterum, qui volunt in Ægypto ſcripſiſſe, cæteri omnes conſentiunt; & quidem anno quinto & quadrageſimo. Lucam in Achaja volumen ſuum literis conſignaſſe docet S. Hieronymus, poſt annum quinquageſimum primum, juxta Cornelium a Lapide. Joannem vero Apoſtolum, circa annum nonageſimum nonum Epheſi id præſtitiſſe conſtans fere Scriptorum omnium eſt ſententia. Quamvis nonnulli memorent in Inſula Pathmos id acciditſſe: quod narrat & Simeon cognomento Metaphraſtes, qui etiam addit Joannem priſtinæ libertati redditum, rogatum ab incolis Inſulæ, ut prius quam inde diſcederet, Euangelium in ipſorum uſum, atque doctrinam ſcriberet; cumque indicto univerſis jejunio, montis verticem aſcendiſſet, & jam opus eſſet aggreſſurus, tonitrua, fulgura, atque terrores eſſe factos, ſicut olim cum Moyſes in vertice Sina montis legem accepit, ac demum tonitrua in vocem

exiſſe

expreſſa reſonaſſe : IN PRINCIPIO ERAT VERBUM . Ne quis vero putet hæc contemnenda , quod ab Auctore non adeo antiquo , dubiæque interdum fidei , vel quod apud Prochorum Scriptorem apocryphum eadem fere ſcripta narrantur,expendendum monet Baronius anno xcix. teſtimonium S. Hieronymi , qui ex antiqua , veraque hiſtoria Eccleſiaſtica memorat , Joannem coactum ab omnibus tunc Aſiæ Epiſcopis , & multarum Eccleſiarum legationibus , de divinitate Salvatoris altius ſcribere , ita facturum ſe reſpondiſſe , ſi indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur ; eo vero expleto revelatione ſaturatum , illud proœmium e Cælo veniens eructaſſe : IN PRINCIPIO ERAT VERBUM . Quod inſuper idem Joannes a Domino dictus ſit filius tonitrui , S. Epiphanius id reſpectu Euangelii , quod ab ipſo ſcribi aliquando deberet , dictum putavit .

De Ordine Euangeliſtarum .

CAPUT IX.

JAm quod ad tempus attinet , primus Euangelium ſcripſit S. Matthæus , deinde S. Marcus , poſtea S. Lucas , poſtremo S. Joannes . Quamobrem mirum fortaſſe cuique videri poterit inter Euangelii Scriptores , extremo Apoſtolos , medio autem loco diſcipulos collocari . Id tamen divina ordinatione factum eſſe docet S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum capite II., ut ſcilicet Marcus , & Lucas tamquam filii in loco medio conſtituti, ex utroque latere a Matthæo, & Joanne munirentur:quam rationem elegantiſſimis verbis S. Petrus Damiani ſic explicat, ſermone de S. Matthæo:„ Notandum eſt quia ſummus Architectus, videlicet Omnipotens,dum hujus ſpiritualis mundi , hoc eſt S. Univerſalis Eccleſiæ fabricam

bricam ſuper quatuor Euangeliſtas, quaſi ſuper columnas totidem conſtituit, duas potiores, & egregias extrinſecus ordinat, quibus ſcilicet omnis ſurgentis machinæ pondus incumbat, duas minores in medio ſtatuit, ſicque cæleſtis fabricæ pulchritudinem alterna varietate diſtinguit, ut pluralitas ad fundamentum, diverſitas pertineat ad ornatum, & divinum opus ſic a robore permaneat inconcuſsum, ut ſit etiam varietate conſpicuum. Matthæus itaque primum obtinet locum, Joannes ultimum; qui nimirum in Apoſtolico ſunt culmine conſtituti, & in iis quæ ſcripſerunt, non auditu dumtaxat, ſed viſu potius, atque contactu ſunt præſentialiter informati; ſicut unus eorum dicit: *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, annuntiamus vobis*. Marcus autem, & Lucas, qui Euangelici catalogi meditullium ſortiuntur, non quidem Apoſtoli, verumtamen præcipuorum Apoſtolorum, unus Petri, alter Pauli relationibus ſunt edocti. Omnes nihilominus Sancti Euangeliſtæ ſunt unius auctoritatis, unius fidei, nec in aliquo diſpares in texenda ſinceriſſima linea veritatis; ac per omnem ſuæ deſcriptionis articulum, inexpugnabile ſimul erigunt propugnaculum, adverſus omnium quarumlibet hæreſeon jacula præmunitum. Hactenus S. Petrus Damiani.

De Euangeliſtarum Symbolis.

CAPUT X.

MIrificum Euangeliſtarum Symbolum Ezechieli divinitus patefactum viſo illo quatuor animalium, quæ etiam S. Joanni in Inſula Pathmos exulanti fuere exhibita, Sancti Patres, divinorumque librorum Interpretes unanimi conſenſu teſtantur, quamvis non omnes exponendo conveniunt. Communior ea videtur ſenten-

tia, quæ faciem Hominis Matthæo, Leonis Marco, Bovis Lucæ, Aquilæ vero Joanni tribuit. Hæc igitur, inquit S. Hieronymus proœmio in Matthæum, quatuor Euangelia multo ante prædicta, Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima visio ita contexitur: *Et in medio sicut similitudo quatuor animalium, & vultus eorum, facies Hominis, & facies Leonis, & facies Vituli, & facies Aquilæ.* Prima Hominis facies Matthæum significat, qui quasi de homine exortus est scribere: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.* Secunda Marcum, in qua vox Leonis in Eremo rugientis auditur: *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini; rectas facite semitas ejus.* Tertia Vituli, quæ Euangelistam Lucam a Zacharia Sacerdote sumpsisse initium præfigurat. Quarta Joannem Euangelistam, qui assumptis pennis Aquilæ ad altiora festinans, de verbo Dei disputat. Elegantissima sunt in rem ipsam Sedulii carmina ita canentis:

Hoc Matthæus agens Hominem generaliter implet:
Martus ut altu fremit vox per deserta Leonis:
Jura Sacerdotii Lucas tenet ore Juvenci:
More volans Aquilæ verbo petit astra Joannes.

De Euangelio S. Joannis cæteris præcellenti.

CAPUT XI.

TAmetsi unumquodque Euangelium opus divinum est, & quilibet e quatuor Euangelistis in scribendo actus est Spiritu Sancto; constanter tamen Patres asserunt Euangelium S. Joannis longe aliis antecellere; & quidem ratione gravi, atque multiplici. Nam ut egregie tradit S. Augustinus tractatu LVI. in Joannem: „ In quatuor Euangeliis, vel potius quatuor libris unius Euangelii

gelii, S. Joannes Apoſtolus, non immerito ſecundum intelligentiam ſpiritalem Aquilæ comparatus, altius multoque ſublimius aliis tribus erexit prædicationem ſuam, & in ejus erectione etiam corda noſtra erigi voluit: Nam cæteri tres Euangeliſtæ tamquam cum homine Domino in terra ambulant, & de divinitate ejus pauca dixerunt; iſtum autem quaſi piguerit in terra ambulare, ſicut ipſo exordio ſui ſermonis intonuit, erexit ſe non ſolum ſuper terram, & omnem ambitum aeris, & Cæli, ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque conſtitutionem inviſibilium poteſtatum, & pervenit ad eum, per quem facta ſunt omnia, dicendo: *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Huic tantæ ſublimitati principii etiam cætera congrua prædicavit; & de Domini divinitate quomodo nullus alius, eſt locutus, hoc ructabat quod biberat. Non enim ſine cauſſa de illo in iſto ipſo Euangelio narratur, quia & in convivio ſupra pectus Domini diſcumbebat: de illo ergo pectore in ſecreto biberat; ſed quod in ſecreto bibit, in manifeſto eructavit, ut perveniat ad omnes gentes non ſolum incarnatio Filii Dei, paſſio, & reſurrectio, ſed etiam quod erat ante incarnationem unicus Patri, Verbum Patris, coæternus generanti, æqualis ei, a quo miſſus eſt. Hæc Auguſtinus.

Quod vero eſt admirabile, quidam Platonicus initium hujus Sancti Euangelii tanti faciebat, ut ſicut a Sancto Simpliciano Mediolanenſi Epiſcopo idem Auguſtinus audire ſolebat, aureis literis conſcribendum, & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe dictitaret. Porro potiora fidei chriſtianæ myſteria S. Joannes tam admirabili brevitate complexus eſt, ut propterea ex præcepto S. Pii V. hoc fidei breviarium legatur in fine Miſſæ, quod olim multi religioſe audire quotidie avebant, curabantque. Piam tamen conſuetu-

dinem in ſuperſtitionem aliquando labentem Concilium Saleguſtadicenſe anno MXXII. celebratum, canone x. reprehendit. Credebant enim quidam pravi homines ſe mori non poſſe ſine pœnitentia, quo die lectioni deſignatæ Euangelii S. Joannis interfuerant; vel, ut docent alii apud eruditiſſimum Emmanuelem Gonzalez, in capite *quidam*, *de celebratione miſſarum*, quia optabant futura prædicere, & credebant audito Euangelio ſe id certo aſſequuturos. Mirum quot ejuſmodi ſuperſtitionibus, noſtra hac tempeſtate in ſuam animarum perniciem chriſtiani quidam homines capiantur, ut in ludo ſortis, quem *lotto di Genova* vulgus appellat, lucrum inſigne adipiſcantur; utinam non *luctum gehennæ* æternum, & inconſolabilem!

De præeminentia Euangelii ſupra cæteros ſacros libros.

CAPUT XII.

INter omnes divinas auctoritates, quæ ſacris literis continentur, ait S. Auguſtinus, libro 1. de conſenſu Euangeliſtarum capite 1. Euangelium merito excellit. Quod enim lex & Prophetæ futurum prænuntiaverunt, hoc redditum & completum in Euangelio demonſtratur. Sane fuiſſe legem veluti umbram, Euangelium autem veritatem per legis typum adumbratam liquet ex iis quæ in prima Corinthiorum epiſtola, capite x. ſcripſit Apoſtolus: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt, bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus.* Et poſt pauca, *Hæc omnia in figura contingebant illis.*

Appo-

Appoſite ſane ſcribit Cornelius a Lapide procœmio in Matthæum: „ Tot Patriarcharum geſta, tot Prophetarum oracula, tot viſionum ſymbola, tot hoſtiarum ſacrificia, tot baptiſmatum & cæremoniarum ſacramenta, tot legum decreta ſanguine animalium ſancita, erant umbræ, figuræ, & typi, quæ Chriſto præluderent, eumque quaſi in ænigmate, & ſub velamine, rudi populo repræſentarent: Euangelium autem manifeſte nobis Chriſtum, ejuſque myſteria, & ſacramenta exhibet. Unde idem Apoſtolus in altera epiſtola ad Corinthios capite III. *Nos vero omnes*, inquit, *revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur, tamquam a Domini ſpiritu*. Et ad Romanos ſcribens, ita epiſtolam ſuam orditur: *Paulus ſervus Jeſu Chriſti vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo*. Alia, & multa quidem Euangelii, ac legis diſcrimina paſſim Sancti Patres enuntiant: quæ in præcipuum volumen congeſſit Joannes Haye e ſocietate Jeſu. Quare ne longior ſim, digitum ad fontem intendiſſe ſufficiat.

De Scriptoribus Concordiæ Euangelicæ, ac ſacris Euangeliorum Interpretibus.

CAPUT XIII.

FUit antiquorum ſcriptorum ſtudium quatuor S. Euangelii libros ita in unum conjungere, ut ex univerſis unum pulchra harmonia efficerent. Id primum omnium præſtitiſſe Theophilum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum teſtatur S. Hieronymus epiſtola ad Algaſiam, quæſtione VI. Id ipſum curavit, ſed mala fide Tatianus hæreticorum Encratitarum parens. Id etiam egit Ammonius Alexandrinus, quem, ut ait idem S. Hieronymus præfatione

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

tione in quatuor Euangelia ad Damaſum Papam, ſecutus eſt Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis. Recentiores multi eamdem diligentiam imitati ſunt, ſed magna præ cæteris laude vir clariſſimus, atque religioſiſſimus Cornelius Janſenius Epiſcopus Gandavenſis. Quod vero ad ſacros attinet Euangeliorum Interpretes, innumeri fere tum priſcis temporibus, cum recentioribus commentarios in Euangelia ſcripſere. Præclarum eſt quod de venerabili Beda legitur; qui pæne animam agens, ut commentarium in Joannem abſolveret, accito ſcriba: *Accipe*, inquit, *& feſtinanter ſcribe*. Et tandem, *Conſummatum eſt*; occinenſque, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, placidiſſime ſpiritum emiſit, pro fide ac labore, Dei viſione beandum, anno DCCXXXI.

DE

DE CODICE SANCTI EUANGELII

ATQUE SERVATIS IN EJUS LECTIONE, ET USU VARIO RITIBUS

LIBER II.

Quo primum tempore Euangelium in Missa legi cœptum.

CAPUT I.

AB ipsis Ecclesiæ primordiis divinos libros lectos esse in missarum solemniis Apostolorum canone decimo comprobatur: *Omnes fideles qui ingrediuntur Ecclesiam & scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiarum commoventes convenit a communione privari.* Hunc autem morem servatum fuisse ab Apostolis, ut scilicet sacras scripturas legerent, cum fideles ad synaxim conveniebant, ipsemet Paulus epistola prima ad Corinthios

thios asserit, cap. XIV. *Cum convenitis, unusquisque vestrum, psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.* Quæ verba ritum innuunt, & ordinem Sacrorum, quæ in Ecclesia primæva fieri solebant in sacris christianorum conventibus; ut ex Justino martyre, *in apologia secunda*, Juniore Plinio, *in epistola ad Trajanum*, Tertulliano *in apologetico*, cap. XXXIX. aliisque licet addiscere. Ea hoc fere pacto instituebantur. Primo canebant Psalmos etiam populus. II. legebatur Sacra Scriptura. III. Episcopus prædicabat. IV. fiebat sacrificium. V. omnes communicabant. VI. quidam psalmos, & hymnos in laudem Dei variis linguis, quasi afflati Spiritu dictabant, & canebant. VII. alii prophetabant, alii more judæorum, Sacras scripturas interpretabantur, vel exhortabantur, iique duo, vel tres præsertim Prophetæ, aut viri spirituales; alii audiebant, & subinde interrogabant, etiam fœminæ (sed per abusum, quem Paulus in laudata epistola corrigit) aliquid circa id quod dicebatur; cumque aliquid boni, aut pii pulchre diceretur, simul inclamabant: Amen, Amen. VIII. claudebat omnia agape, sive convivium omnibus commune, in symbolum charitatis, post quod rursum succedebant hymni, & orationes. Ita Cornelius a Lapide, gravissimos Justini, & Tertulliani locos ad verbum referens.

Quod ad Euangelium spectat, Ævi Apostolici ritum esse illud in Ecclesia publice legi, quo præsertim tempore divinum sacrificium perageretur, patet ex eo, quod de Lucæ Euangelio perhibet Apostolus in altera sua quam ad Corinthios scripsit epistola, cap. VIII. Illum enim memorans suæ peregrinationis comitem: *Cujus laus*, inquit, *est in Euangelio per omnes Ecclesias*; quod profecto non de Barnaba, & Sila, ut quidam putant, sed re-

vera

vera de Luca intelligendum esse Sancti Hieronymus, & Anselmus testantur. Clemens item, atque Papias Episcopus Hierapolytanus, Apostolorum sæculo proximi, apud Eusebium lib. II. histor. cap. xxv. referunt, Euangelium Marci, a S. Petro Apostolorum Principe comprobatum, publice in Ecclesia lectum esse. Quod de Euangeliis quoque Matthæi, & Joannis, statim ac scripta fuerunt, minime nobis inficiari licet: quum etiam, ut recte notat Marcellus de Cavaleriis, *in statera missæ cap. de Euangelio*, synagogæ exemplum ob oculos esset, ubi populo congregato ritum legendi quæ tunc ad legem spectabant, a Moyse inductum, Exod. xxiv., atque præceptum, Deuter. xxxi. Christus ipse impleverit. Tandem ut Sanctos Patres, sacrosque Canones omittam, qui, ut infra patebit, de eadem re fidem luculentissimam faciunt, liturgia quoque S. Marci Euangelistæ ex pervetusto codice illustris monasterii S. Basilii Rossanensis, ex quo sapientissimus Cardinalis Gulielmus Sirletus eam describi curavit, Euangelicæ lectionis in missa mentionem facit.

Nec obstat, quod S. Gregorius lib. VII. epistola LXIII. ad Joannem Syracusanum scribat, morem Apostolorum fuisse sola oratione dominica oblationis hostiam consecrare, ex quo infert Morinus, multorum annorum decursu Euangelium in missa lectum non esse. Ut enim scite differit, ac sentit doctissimus Cardinalis Bona lib. I. *Rerum liturgicarum*, id omnino de illis annis intelligi debet, cum Euangelium non dum erat scriptum; alioquin mendacii arguerentur Sancti Patres, potissimum vero Clemens, & Papias, Apostolorum sæculo proximi, qui, ut vidimus, referente Eusebio, testati sunt Euangelium Marci a Principe Apostolorum approbatum, publice in Ecclesia lectum fuisse. Cæterum esto Apostoli ab initio brevissimum liturgiæ ritum adhibuerint, ita

exigente primæ Chriſtianitatis inter procellas adverſantium naſcentis conditione, eoſdem tamen creſcente fidelium numero lectiones, preces, cæremonias addidiſſe, quibus & ſacrificii dignitas eluceſceret, & major ipſi veneratio conciliaretur, auctoritate Sanctorum Procli, & Joannis Chryſoſtomi comprobatur, qui duobus fere ſæculis magnum Gregorium præceſſerunt: *Cum ſacras*, inquit Chryſoſtomus, homil. XXVII. in I. Corinthiorum *illas cœnas accipiebant Apoſtoli, quid tum faciebant? nonne in preces convertebantur, & hymnos? nonne in ſanctas vigilias? nonne in longam illam doctrinam, & multæ philoſophiæ plenam?* Proclus vero *in libello, de traditione divinæ liturgiæ*, ſic loquitur „ Salvatore noſtro in Cælis aſſumpto, Apoſtoli antequam per omnem terrarum orbem diſpergerentur, conſpirantibus animis convenientes ad integram orandum diem convertebantur; & cum multam conſolationem in myſtico illo dominici corporis ſacrificio poſitam reperiſſent, fuſiſſime, longoque verborum ambitu miſſam decantabant; id enim pariter, ac docendi inſtitutum cæteris rebus omnibus tamquam præſtantius anteponendum exiſtimabant: maxima ſane cum alacritate, plurimoque gaudio huic divino ſacrificio tempus inſumentes, inſtabant impenſe, jugiter memores illorum verborum Domini, dicentis: *Hoc eſt corpus meum*, & *Hoc facite in meam commemorationem*, & *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*. Quocirca, & contrito ſpiritu multas preces decantabant, impenſe divinum implorantes Numen.

In qua autem miſſæ parte Euangelium olim legeretur, edicit Concilium Valentinum can. I. conſtituens: Ut Sacroſancta Euangelia, ante munerum illationem, in miſſa catechumenorum, in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur; quatenus ſalutaria præcepta Jeſu Chri-

Christi Domini nostri, vel sermones Sacerdotis, non solum fideles, sed etiam catechumeni, ac pœnitentes, & omnes qui ex adverso sunt, audire licitum habeant. Varias rationes, quare post Apostolum legatur Euangelium, adducunt Scriptores, de divinis officiis. Simeon Thessalonicensis in libro *de mysteriis missæ* cap. XXII. enarrans morem hac in parte nedum Latinorum, sed & Græcorum, ait quod Deus non fecit simul omnem potentiæ, & bonitatis suæ manifestationem, sed minorem prius, & postea majorem; quæ autem per se locutus est, quæ in Euangelio continentur, perfectiorem manifestationem continent, quam quæ per Apostolos locutus est. Addit Nicolaus Cabasilas *in expositione liturgiæ*, cap. XXII. Quia non repente, & uno simul tempore apparuit hominibus Dominus quanto erat robore, & quanta bonitate; hoc enim est secundi ejus adventus: sed vix procedens ab eo, quod est minus apertum, ad id quod est manifestius processit. Ea de causa eos qui ejus ostensionem paullatim fuisse factam volunt ostendere, Apostolica legere ante Euangelia est consentaneum.

Illud quoque vetustissima Ecclesiæ Catholicæ consuetudine receptum fuit, ut certo ac distincto ordine Euangelia, Lectiones, atque Epistolæ singulis diebus per anni circulum in missæ sacrificio legerentur. Cujus moris S. Augustinus non uno in loco luculentum exhibet testimonium. Initio expositionis in epistolam S. Joannis: *Meminit*, inquit, *sanctitas vestra Euangelium secundum Joannem, ex ordine lectionum nos solere tractare; sed quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certas ex Euangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse non possint: Ordo ille, quem susceperamus, necessitate paullum intermissus est, non omissus.* Et infra, *tractatu nono ejusdem expositionis* „ Intercesserunt, ut intermitteremus tex-

tum hujus epiſtolæ, quædam pro diebus feſtis ſolemnia lectionum, quæ non potuerunt niſi legi, & ipſa tractari. Item S. Leo hujus nominis primus, Pontifex maximus, ſerm. III. de Epiphan. *Quamvis ſciam dilectiſſimi, quod ſanctitatem veſtram hodiernæ feſtivitatis cauſſa non lateat, eamque ſecundum conſuetudinem Euangelicus vobis ſermo reſeravit.* In Eccleſia Romana Damaſus Papa ordinem illum ſervari præcepit, quem S. Hieronymus præſcripſit, in libro qui *lectionarius*, vel *comes S. Hieronymi* inſcribitur. Quod communi fere Liturgicorum ſententia comprobatur.

In Græcorum Eccleſiis non idem ſervatur Euangeliorum ordo, qualem diſpoſuit S. Hieronymus in Eccleſia Occidentali; ſed continuo totius anni ſpatio, totus quatuor Euangeliorum textus in Eccleſia palam legitur: quod diſerte his verbis ediſſerit doctiſſimus Leo Allatius diſſertatione I. *de libris, & rebus Eccleſiaſticis*, pagina XXXVI.„ Exceptis magnis ſolemnitatibus, quæ peculiare ſibi poſcunt, *Euangelium* in reliquis anni diebus ita diſpertiuntur Græci, ut unius prius Euangeliſtæ textum in themata dividant, & diebus applicent, donec finiat; poſtmodum alterius continent, donec omnia ad exitum perduxerint, & diebus dominicis a ſcriptore Euangelii nomen imponant: dicunt enim, Prima dominica Matthæi, II. Matthæi, & ſic de aliis. Id ut melius comprehendas, velim advertas Joannis Euangelii textum univerſum ſeptem integris hebdomadibus legi, quæ a magna Paſchæ dominica, tribus diebus exceptis, numerantur. Matthæi a feria ſecunda poſt dominicam Pentecoſtes ad ſubſequentem Paraſceven Exaltationis diem feſtum; abſolviturque hebdomadibus ſeptem, & decem. Harum undecim, ſingulis diebus Matthæi lectionem continuant; a duodecima, quinque tantum diebus Marci lectio aſſumitur; Sabbatis, & Dominicis

Mat-

Matthæi lectio reſtituitur, uſque ad hebdomadam decimam, & ſeptimam, dummodo hæc poſtrema inter tempus Paſchale occurrat; ſin minus, non legitur. Lucæ Euangelium a feria ſecunda, quæ Dominicam poſt Exaltationem excipit; & integris hebdomadibus duodecim continuatur; ab initio decimæ tertiæ, Marci percurritur in reliquis diebus, ſed Sabbatis, & Dominicis Lucæ aſſumitur. Marci tandem inter Matthæi, & Lucæ abſumitur; quod vero ſupererit, Sabbatis, & Dominicis Quadrageſimæ abſolvitur. Hæc ille.

Euangelia Dominicarum apud Latinos adeo ſunt iis diebus affixa, ut quamvis eo tempore feſtum, ut vocant, duplex occurrat, adhuc in fine miſſæ Euangelium Dominicæ legitur; præterquam in miſſis, ut ajunt, votivis, quæ licet Dominica celebrentur, ut Romæ paſſim contingit in expoſitione XL. horarum, tamen ſemper ultimum Euangelium eſt S. Joannis. Refert autem Macrus *in Hierolexic. verbo Miſſa votiva*, id minime ſervatum fuiſſe anno MDCLXIV. Dominica die IV. Auguſti tunc occurrente; qua, quum Alexander VII. Pontifex Maximus in Templo S. Mariæ de Anima pro gratiarum actione, ob relatam ab Auguſto Cæſare de Turcis victoriam, miſſam votivam celebraret, ei oblatum fuit legendum in fine miſſæ Euangelium Dominicæ.

Ac nequid prætermittamus ex iis, quæ huc apte revocari poſſunt, ſciendum eſt non unam eſſe cauſſam, propter quam hoc potius Euangelium, quam illud in tali, ac tali miſſa recitetur. Ut enim obſervarunt Gulielmus Durandus, & Joannes Belethus, aliquando legitur ſecundum hiſtoriam, ut illud in die Reſurrectionis Dominicæ: *Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Salome*; atque illud etiam quod in Natali Domini ad ſecundam miſſam cantatur, *de Paſtoribus*. Nonnunquam ſecundum allegoriam; cujuſmodi eſt, quod in Aſſumptione

B. Vir-

B. Virginis legi consuevit de Maria Magdalena, & de ejus sorore Martha: *Intravit Jesus in quoddam castellum &c.* quia quum per Magdalenam vita contemplativa, per Martham vero, quæ ministrabat, activa significetur; hoc Euangelio indicatur, in B. Virgine utriusque vitæ fuisse consummationem, contemplativæ scilicet, & activæ. Interdum secundum personam canitur Euangelium, ut in festo S. Thomæ Apostoli, quo dicitur; *Thomas unus de duodecim &c.* Quandoque secundum partem; ut in festo Sanctæ Crucis: tunc enim illud recitatur, quod est de Nicodemo, propter ejus extremam particulam: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis*: quibus verbis Christus suam passionem, suique corporis in Cruce exaltationem indicavit. Denique secundum totum, prout est exiguum illud, quod in Circumcisione Domini licet animadvertere. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.*

Optimum factu esset hic præcipuo capite de methodo, qua Euangelia olim publice in Ecclesia recitabantur, differere; sed ea est in rem ipsam, locorum ac temporum, Clericorum ac Monachorum, græci ac latini ritus varietas, ut vix integro volumine explicari possit. Minime vero prætermittam, Euangelium aliquando ex tribus, interdum ex cunctis contextum Euangelistis in Ecclesia legi consuevisse, velut in die Paraseeve, ac festo Resurrectionis Dominicæ, quo ut prodit S. Augustinus, Euangelium secundum quatuor Euangelistas recitabatur. Die vero solemni Epiphaniæ ex tribus constabat Euangelistis, propter tres Christi apparitiones, seu mysteria, quæ eodem die recoluntur: adoratio scilicet ejus per Magos, Baptismus, & primum miraculum, quod factum est in nuptiis apud Canam Galilææ. Sane quamvis in Orientali Ecclesia, Christi potissimum baptismus recola-

colatur, triplicem tamen illius manifeſtationem ſemper hac die latinam recoluiſſe Eccleſiam patet tum ex hymno Prudentii veteris ac celeberrimi Poetæ Chriſtiani, quem inter divina officia recitamus, cum ex S. Paulino carmine IX. de S. Felice, Iſidoro lib. II. de officiis cap. XXVI. Gregorio Turonenſi libro II. *de miraculis S. Martini* cap. XXVI. & aliis.

Euangelium qua lingua lectum in miſſa.

CAPUT II.

QUamquam hæretici oblatrent, Sacras Scripturas, atque divina officia in linguam vernaculam tranſferri debere; Orthodoxi tamen acerrime propugnant id Eccleſiæ nullatenus expedire. Sane, licet olim Romani Pontifices non ſemel Moravis conceſſiſſent divina officia, & miſſam ſclavonica lingua celebrare, ut patet ex epiſtola CCXLVII. Joannis VIII. Pontificis Maximi ad Sfentopulchrum Moraviæ comitem data anno DCCCLXXX. eandem tamen licentiam celebrandi officii divini lingua ſclavonica Uratislao Bohemiæ Duci Summus Pontifex S. Gregorius VII. omnino denegavit. *Quia nobilitas tua*, inquit, *poſtulavit, quod ſaltem ſclavonica lingua apud vos divinum celebrari annueremus officium, ſcias nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe favere. Ex hoc nempe ſæpe volventibus liquet non immerito Sacram Scripturam omnipotenti Deo placuiſſe quibuſdam locis eſſe occultam; ne ſi ad liquidum cunctis pateret, ſorte vileſceret, & ſubjaceret deſpectui, aut prave intellecta a mediocribus, in errorem induceret. Neque enim ad excuſationem juvat, quod quidam Religioſi viri hoc, quod ſimpliciter populus quærit, patienter tulerunt, ſeu incorrectum dimiſerunt, cum primitiva Eccleſia multa diſſimulaverit, quæ*

quæ a Sanctis Patribus poſtmodum firmata Chriſtianitate, & Religione creſcente, ſubtili examinatione correcta ſunt. Unde ne id fiat, quod a veſtris imprudenter expoſcitur, auctoritate Beati Petri inhibemus. Idem vetuiſſe Alexandri II. Summi Pontificis Legatum, qui Synodum coegit omnium Prælatorum Dalmatiæ, & Croatiæ, in qua ſtatutum eſt, ne quis de cætero in lingua ſclavonica præſumeret divina myſteria celebrare, niſi tantum in latina, & græca, prodit Thomas Archidiaconus Spalatenſis *in Hiſtoria Epiſcoporum Salonitanorum*, edita a Joanne Lucio, capite XVI. Denique cum quidam ſanctarum Scripturarum libros gallice translatos, paſſim laicis, & mulieribus legendos permitterent, teſtatur Innocentius III. Pontifex Maximus, graviſſima inde incommoda eveniſſe; nam translationi eidem uſque adeo inſiſtebant, ut ſe nec Epiſcopo, nec Metropolitano ſuo, nec ipſi Summo Pontifici aſſererent parituros, ſi eam abolendam decreviſſet: præterea occulta conventicula celebrabant, ſimplicitatem Sacerdotum deſpiciebant, eorumque conſortia, qui translationem ipſam non reciperent aſpernabantur. At quid in hac re diutius immoror? Unum nobis adnotare ſufficiat, tribus potiſſimum linguis, hebraica, græca, latina tum legem ſcribi divinam, tum tradi ſacra, & divina officia, Apoſtolos, & eorum diſcipulos voluiſſe; ut pluribus argumentis, validiſque rationibus probat Jacobus Ledeſima Societatis Jeſu Theologus in tractatu *De divinis ſcripturis quavis lingua non legendis*.

Quod vero hic prætermitti non debet, ritus eſt antiquiſſimus, ut in miſſa Papali Summo Pontifici ſacra facienti duo diaconi inſerviant, quorum alter Græcus græca lingua, Latinus alter, lingua latina Euangelium canit. Quod olim & in Conſtantinopolitana Eccleſia uſurpatum fuiſſe liquet ex Nicolai Papæ I. epiſtola ad Michae-

Michaelem Imperatorem, qui latinam linguam ex contemptu barbaram appellabat. In Regno Neapolitano eundem ritum nonnullæ Eccleſiæ aliquando habuere; hodieque ſervat ac retinet Neritina, ut prodit vir magnæ eruditionis Sebaſtianus Pauli *de ritu Eccleſiæ Neritinæ* parte II. num. v. Quæ illuſtris in Japygia Eccleſia licet latinum ritum ab origine acceptum numquam dimiſerit; quia tamen partim latino, partim græco conſtabat populo, variaque olim græci ritus oppida intra diœceſim complectebatur, materni ejus officii fuit hos quoque ſinu fovere, & ſe ſe quandoque piis eorum uſibus accommodare. Alienum enim (ſubdit laudatus Auctor) a Chriſtiana Religione erat, ut confluentes in primis anni ſolemnitatibus ad Eccleſiam Græci fideles, nil ibidem ſuſpicerent, quod eorum pietatem aleret, pietatiſque fervorem frequentia ſacrorum myſteriorum roboraret. Hæc ipſa peculiari diſſertatione, jam pridem illuſtravit clariſſimus Abbas Petrus Pollidorus, amicus noſter, vir excellentis in re literaria facultatis, cujus lectiſſima eruditio non uno in loco facem prætulit memorato Auctori, gratumque ipſe in eo opere teſtatus eſt animum. Sed eo unde digreſſi ſumus revertamur. Semel in anno Dominica Palmarum Brunduſii in Sallentinis, Epiſtolam item, & Euangelium græca lingua, ex priſca, & immemorabili ejuſdem latinæ Eccleſiæ conſuetudine recitari conſueviſſe narrat Andreas de Monacha *Hiſtoriarum Brunduſinarum* libro v. capite xi. & ultimo.

At nedum græce, & latine, ſed & hebraice Sacri Euangelii lectionem publice in Eccleſia apud Italos recitatam fuiſſe, certis etiam conſtat monumentis hiſtoriæ. Ut alia vero ſileam exempla: In ſolemni Alexandri Papæ V. inauguratione, celebrata in Concilio Piſano, Epiſtola, & Euangelium tribus linguis pronunciatum eſſe, nimirum græce, hebraice, ac latine, teſtantur

acta ejuſdem Concilii apud Dacherium tomo VI. Spicilegii pag. cccxxxiv. Euangelium quoque, ſicuti & cætera divina officia, fuiſſe aliquando in miſſa, ſclavonica lingua recitatum conſtat ex ſupracitata epiſtola Joannis VIII. Pontificis Maximi, in qua tamen ſtatuit, ut in omnibus Eccleſiis Terræ Moravorum, propter majorem honorificentiam Euangelium latine legeretur, & poſtmodum ſclavonica lingua translatum in auribus populi latina verba non intelligentis annuntietur, ſicut in quibuſdam Eccleſiis fieri videtur.

Euangelium qui olim in miſſa legerent.

CAPUT III.

APud nonnullas Gentes Euangelii lectioni, ob diaconorum raritatem, ut putat doctiſſimus Hallierius, deſtinatum aliquando fuiſſe Ordinem lectorum, ad quos ſpectabat divinas ſcripturas in Eccleſia recitare, patet ex S. Cypriano, qui Aurelianum, & Celerinum Confeſſores, ad lectoratum, ut Euangelium legerent, evexerat. In Hiſpania vero id quandoque ſubdiaconos præſtitiſſe, conſtat ex Concilii I. Toletani, anno cccci. celebrati, canone IV. *Subdiaconus defuncta uxore ſi uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Oſtiarios, vel lectores, ita ut Euangelium, vel Apoſtolum* (alibi Epiſtolam) *non legat*. Certum quidem eſt morem, qui nunc viget ſolemnis lectionis per diaconum inter miſſarum ſolemnia faciendæ, ab antiquiſſimis temporibus in Eccleſia, tum Græca, quum Latina ubique fere terrarum invaluiſſe. In Liturgia S. Marci Euangeliſtæ a Sirleto edita, Euangelii lectio in miſſa diacono expreſſe tribuitur: *Diaconus Euangelium recitaturus dicit: Domine benedicito &c.* Pervetuſtus Auctor conſtitutionum Apoſtolicarum, poſt-

poſtquam lectiones veteris Teſtamenti, & Apoſtolicas lectori aſſignaſſet, Euangelii lectionem diſerte attribuit non ſoli Diacono, ſed Diacono, vel Presbytero. In Oriente, & in Africa, eo munere functos eſſe diaconos, docent Sancti Hieronymus, & Auguſtinus. Ille ad Sabinianum ſcribens, *Euangelium*, inquit, *Chriſti quaſi diaconus lectitabas*. Hic de S. Stephano loquens ſermon. IV. *Diaconus erat, Euangelia legebat, quæ legis, vel audis & tu*. S. Iſidorus Hiſpalenſis libro II. *de divinis officiis* cap. VIII. poſtquam diaconorum officia retulit, *Ipſi etiam*, inquit, *ut aures habeamus ad Dominum, clamant: ipſi quoque Euangelizant: ſine ipſis Sacerdos nomen habet, officium non habet*. Concilium inſuper Vaſenſe, nomine II. reipſa vero III. anno DXXIX. coactum can. II. hæc habet: „Si Presbyter aliqua infirmitate prohibente per ſe ipſum non potuit prædicare, Sanctorum Patrum homiliæ a Diaconibus recitentur. Si enim digni ſunt Diaconi quæ Chriſtus in Euangelio locutus eſt legere, quare indigni judicentur Sanctorum Patrum expoſitiones publice recitare?

Ratio ſolemnis iſtius lectionis diacono tributæ probabilis Morino videtur, in libr. *de Sacr. ordinat.*, quod univerſæ Eccleſiæ mos fuit Euangelii lectionem magno cum apparatu, atque celebritate peragere; cumque alius mos in univerſa Eccleſia invaluiſſet, ut lectores admodum juvenes, & pueruli eligerentur, indecorum ſane fuiſſet, & Eccleſiaſticæ gravitati parum conſentaneum, pueris hujuſmodi tam ſublimem, atque ſolemnem lectionem committere, & tantæ pompæ duces declarare. Quamobrem, addit laudatus auctor, Eccleſiæ merito conſueverunt viros graves, & honoratos eligere, qui tam ſolemnem facerent lectionem, non lectorem, qui clericatus apud Græcos initium eſt, & primus gradus, apud Latinos ſecundus; ſed diaconum Sacerdo-

ti auctoritate, & dignitate proximum. Certe Sozomenus lib. VII. hiſtor. Sacrum codicem Euangeliorum Alexandriæ a ſolo Archidiacono, apud alios a diaconis, & in multis Eccleſiis a ſolis Sacerdotibus, atque diebus ſolemnibus, ab Epiſcopis legi teſtatur.

Quamquam hæc quæ prodit Morinus, vir procul dubio doctiſſimus, plurimum mihi arrideant, cauſſa tamen probabilior, propter quam Euangelii lectio diaconis tribuatur, oriri mihi videtur ex vi ordinationis ſuæ, in qua præter manuum impoſitionem, liber etiam Euangeliorum illis porrigitur, per cujus traditionem, ſacrum diaconatus ordinem conferri, manifeſte docet Eugenius Papa IV. in decreto unionis cum Armenis; & Pontificale Romanum his verbis: *Accipe poteſtatem Euangelium legendi in Eccleſia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini*. Dicam itaque cum ſapientiſſimo Hallierio *de ſac. ordinat.* §. xv. *de mater. diacon. n.* XLII. præcipuum, vel certe ex præcipuis diaconi muneribus, quod per materiam ordinationis diaconi ſignificari ſatis eſt, eſſe tum Euangelii recitationem, tum ejuſdem ſimplicem expoſitionem, utramque autem codice Euangeliorum tradito explicari. Quæ quidem officia licet forſan primis Eccleſiæ temporibus, ex potioribus non eſſent, imo nec penitus tunc eſſent, quum Apoſtoli primos diaconos inſtituerunt, quo tempore nullum adhuc erat Euangelium ſcriptum; erat tamen aliquid æquivalens, quia tunc temporis diaconi Euangelii prædicationi cum cæteris dabant operam, ut patet exemplo Sanctorum Stephani, & Philippi ex primis diaconis; ſemperque poſtea purgandis doctrina populis incubuerunt; propter quod diaconorum ordo a S. Dionyſio, *de Eccl. Hier.* cap. v. dictus eſt purgativus. Unde libro Euangeliorum, qui divinum eſt ſcriptum, cujus conditione fideles purgantur, egregie hoc officium declaratur: ex eo enim noſtra

ſtra inſtructio ſumenda, ex eo Chriſtianæ catecheſes, exhortationes, conſolationes depromendæ.

Pluribus de hoc argumento, formaque ordinis diaconatus differere, diutiuſque immorari in diſſertationibus, quæ Theologorum mentes fatigarunt, ſupervacaneum exiſtimo. Id ſolum monendum duco, ut quis moleſtioribus ſe ſe expediat difficultatibus, inhærere tuto ſciteque poſſe ſententiæ viri conſummatæ doctrinæ, ac Theologiæ dogmaticæ principis, Roberti Cardinalis Bellarmini, cujus verba hæc ſunt, tom. III. *de Sacram. Ordin.* cap. IX. n. XXVI. Credibile autem eſt Dominum inſtituiſſe iſtas omnes materias Ordinum, non quidem in particulari ſed generatim, monendo Apoſtolos, ut ordinem conferrent per cæremoniam iſtrumentorum, quibus ſignificaretur eorum poteſtas. Hoc modo facile erit reſpondere objectionibus, quæ fieri poſſunt, circa prætentas mutationes materiæ, & formæ ſingulorum ordinum, & circa diverſam conſuetudinem Eccleſiæ Græcæ.

Euangelii lectio ſolemnis Imperatoribus conceſſa.

CAPUT IV.

SOlemnem Euangelii lectionem, quæ ut diximus ex vi ordinationis ſuæ ad Diaconos pertinet, Imperatoribus etiam quandoque fuiſſe conceſſam, patet ex veteri cæremoniali gallice manuſcripto, ubi in capite: *Quomodo Imperator creatur*, hæc latinitati donata verba leguntur: *Papa debet cantare miſſam; & Rex Franciæ poteſt intereſſe, & Epiſtolam legere: & ipſo abſente Rex Siciliæ ejus vices ſupplere poteſt; Imperator autem debet legere Euangelium, & coronatur in Eccleſia S. Petri Romæ.*

mæ. Huic ritui mirifice ſuffragantur duo inter cætera Imperatorum exempla illuſtria, Sigiſmundi, & Caroli IV. De primo ſic habet ejus hiſtoria: *Mane venit Imperator ad miſſam Romæ in S. Petro, quam Papa cantavit, & Imperator legit Euangelium in habitu diaconi*. De altero teſtatur Albertus Argentoratenſis his verbis: *In die quoque Sancto Nativitatis Domini Rex communicatus fuit, legitque in miſſa in galli cantu alta voce, habens in manu evaginatum gladium, Euangelium*, Exiit edictum a Cæſare Auguſto.

Neque vero in miſſa ſolum, ſed in matutino etiam Nativitatis Domini, quando occurrit gladium una cum pileo a Summo Pontifice benedici, Imperator ſi præſens fuerit, ſuperpelliceo indutus, gladio cinctus, ac pluviali albo contectus, pileum ſcutiferis in manu gerentibus, ad canendam lectionem octavam accedit: *Exiit edictum a Cæſare Auguſto*; aſſociatus duobus Cardinalibus diaconis: ſed antequam incipiat, & ſolitam benedictionem poſtulet, gladium evaginabit, quo ter percutiet terram, terque vibrabit in aerem, & ſuper ſiniſtro brachio illo deterſo, in vaginam reponet; & finita lectione memoratis indumentis exuitur. Atque ita actum fuiſſe Paullo II. Pontifice Maximo, ab Imperatore Friderico III. anno Domini MCCCCLXVIII. auctor eſt Dominicus Macrus in Hierolexic. verbo *lectio*, ubi ritum ipſum deſcribit; additque quod ſi Imperator noluerit integram lectionem canere, ſufficit ut uſque ad homiliam proferat, quam ſubinde unus ex duobus Cardinalibus perficiet. Quo ritu Carolus V. Imperator, die Natalis Domini anno ab ejuſdem ortu MDXXIX. divinum Euangelium inter miſſarum ſolemnia a Clemente VII. Pontifice Maximo celebrata, populo nuntiaverit, ſuſe diligenterque narrat in ſuis diariis Pontificii Sacelli Sacrarum Cæremoniarum Magiſter, qui præſens interfuit; cujus

jus verba deſcribemus, quum de ritu nudandi enſes agetur.

Hæc dura, aut nova fortaſſe videbuntur neſcientibus ritum, qui in coronandis Imperatoribus, Regibuſque ea de cauſſa ad Urbem venientibus ſervari ſolet. Hos quidem poſt Imperii, ſive Regni diadema in Baſilica Vaticana ſuſceptum, continuo ejuſdem Eccleſiæ Canonicos fuiſſe renuntiatos, ſcribit Achilles, & ipſe Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, quem refert Turrigius in ſecunda parte tractatus *de cryptis Vaticanis* ſecundæ editionis; aſſerens Carolum Magnum ſuſcepta per manus Leonis III. Summi Pontificis Imperii corona, primum Imperatorem fuiſſe, qui memoratæ inclytæ Eccleſiæ Canonicus fuerit. Cæremoniale Chriſtophori Marcelli Archiepiſcopi Corcyrenſis lib. I. ſect. 1. cap. 111. ritum deſcribens quo Imperator Romæ a Pontifice Maximo coronatur, hæc habet: *Indutus ſuperpelliceo, & almutia recipitur a Canonicis S. Petri in Canonicum, & in fratrem &c.* De Gallorum Regibus teſtatur Fulgoſius lib. I. cap. 1. eos quum in multis Regni ſui Templis Canonicorum ordinariorum, ut vocant, numero ſint adſcripti, ſi quando ad ejuſmodi Templa accedunt, depoſitis Regiis ornamentis lineam veſtem Sacerdotali more cum aliis Canonicorum inſignibus ſumere, ac ſua ibi cum aliis Canonicis obire munia.

Euangelii lectio in miſſa fœminis vetita.

CAPUT V.

QUod hujus capitis titulo deſignavimus, vix ſane memorandum; quippe ſatis conſtat non licuiſſe unquam mulieri Euangelium in Eccleſia legere, atque diaconi munus uſurpare, tum quod, ut admonet S. Baſilius,

filius, lib. de vera virginit. *vox muliebris plena eſt illecebrarum*, tum quia celſus ac editus locus, in quem conſcendendum legenti erat, ut ab omnibus conſpiceretur; quemadmodum S. Cyprianus agens de Sanctis Celerino, & Aureliano indicat, omnino dedecet fœminam; quam velari ac tegi in Eccleſia par eſt, non vultum oſtentare; tum inſuper, quod Apoſtolus præcipiat, mulierem in Eccleſia tacere: Non me latet aliquot non defuiſſe auctores, qui inter alia diaconiſſarum munera, eas etiam in Eccleſia legiſſe ſcribant, eamque lectionem non ſolis factam mulieribus memorent; contra tamen ſentiendum eſt: auctor ſiquidem Apoſtolicarum conſtitutionum antiquiſſimus lectorem communiter viris, ac mulieribus ſeorſim diſpoſitis legiſſe teſtatur: quod etiam liquet ex S. Cyrillo Hieroſolymitano ſic ajente *præfat. in catecheſes*. „ Sit concluſa Eccleſia, & vos omnes intus: Hæc tamen ſeparentur, viri ut ſint cum viris, mulieres cum mulieribus, ne ſtudium ſalutis ſit perditionis occaſio. *Et poſt pauca*: Tum vero aſſidentes viri librum aliquem utilem habeant, & alius quidem legat, alius vero audiat: Si autem deſit liber, alter oret, alter boni aliquid dicat. Conventus porro Virginalis ſic congregetur, ut vel pſallat, vel oret, vel legat; ita ut labia quidem loquantur, vox autem ad alienas aures non perveniat: mulierem enim loqui in Eccleſia non permitto. Et nupta quoque ſimiliter agat, & oret labia movendo, ut naſcatur Samuel, ut ſterilis anima tua pariat exaudientis Dei ſalutem. Ita S. Pater; cujus verba expendens doctiſſimus Theophilus Raynaudus, *De ſobria alterius ſexus frequentatione* c. VIII. Hic, inquit, S. Cyrillus lectionem in ſuum perſonale bonum, atque adeo mutam, & tacitam concedit mulieribus, vetat autem eas ab aliis audiri.

Multo minus fas erat mulieri Euangelium in Eccleſia lege-

legere. Unde quum S. Aurea virgo Parisiensis monasterii Præposita, inter missæ solemnia diacono Euangelium adeo inepte legenti, ut absurda pronuntiatione omnium aures vulneraret, audientesque in indecorum risum impelleret, factum indigne ferens pia virgo, stolam e collo ejus eripiens, suoque apponens, publice in Ecclesia Euangelium legere ausa esset; ab Angelo Domini graviter correcta est, quod Sacri Ordinis ritum evertisset. Quo factum est, ut culpæ pœnitens se se præfectura abdicaverit; cellamque peranguſtam subiens, in ea septennii spatio asperrimum vitæ genus duxerit. Enimvero cathedram inibi sibi confici curavit, clavis peracutis circumquaque instructam, quibus quotidie per vices insidens, integrum recitabat Psalterium, non sine magno cruciatu. Addidit & quotidiana jejunia, noctiumque vigilias, quo crimen temeraria, ac præpostera Sancti Euangelii lectione contractum expiaret. Narrant hæc Petrus Equilinus Episcopus, lib. IX. cap. XXII. & Andreas Saussayus in martyrologio Gallicano, IV. nonas Octobris.

Non solum culpa, sed turpi quoque scelere cumulatum fuit ausum quarundam Abbatissarum Burgensis, & Palentinæ diœceseos; quæ eo temeritatis devenerunt, ut non modo Euangelium publice legerent, ac prædicarent, verum etiam monialibus suis benedicerent, ipsarumque confessiones peccatorum exciperent. Quod permoleste accipiens Innocentius III. Pontifex Max. ad Burgensem, & Palentinum Episcopos, itemque ad Abbatem Morimundi datis literis, ne audaces talia in posterum audere pergerent, Apostolica auctoritate vetuit. Sane in gradibus, vel muneribus Clericorum nullum jus fœminis quovis nomine esse potest; nam ut recte docet Tertullianus libro *De velandis virginibus* cap. IX. & illum describens S. Isidorus Hispalensis, *neque permittitur eis in Ecclesia loqui, vel docere; sed nec tingere, nec offerre,*

nec ullius virilis muneris, aut ſacerdotalis officii ſortem ſibi vendicare. Dolebat tamen aliquando S. Joanni Chryſoſtomo, tantum dominatum in Eccleſia mulieres uſurpaſſe, ut multi non niſi ipſarum gratia ad Epiſcopatus eveherentur. Et noſtris, avorumque temporibus memoratus Raynaudus cap. XIII. in fine, ferre non poterat, quod quiſquis Oratorum ſacrorum, in Galliis nobile quodpiam ſuggeſtum ambiret, ubi dominici Adventus, vel Quadrageſimæ tempore, divinum Euangelium populis nuntiaret, commodiorem, ac feliciorem aditum non haberet favore matronarum; quem proinde humilibus obſequiis aucupari, & blanda familiaritate parare, aut retinere erat neceſſe. At, ſubdit ſcriptor ingenuus, generoſo incoctum pectus honeſto malit ſupra piſcem elingue eſſe, & numquam ad populum verba facere, quam per eas familiaritates emercari ubilibet concionandi poteſtatem.

Euangelium in qua olim Eccleſiæ parte legeretur.

CAPUT VI.

QUoniam in edita, atque ſublimi Eccleſiæ parte Sacrum Jeſu Chriſti Euangelium antiquitus, & nunc etiam alicubi legi conſuevit, operæ pretium duco aliqua de illa differere, quibus novi capitis argumentum illuſtrem. Locus ipſe *Suggeſtus*, *Pulpitum*, *Tribunal*, & *Ambon* eſt appellatus. Suggeſtus dicebatur, quod inde populo ſuggeratur quod in rem ejus eſſe poſſit. Reliqua tria vocabula vir clariſſimus Bernardinus Ferrarius libro tertio, *De ritu ſacrarum Eccleſiæ veteris concionum*, cap. III. exponit his verbis: *Pulpitum* quidem, ut ſcri-

ſcriptum reliquit Walfridus Strabo, in libro *De rebus Eccleſiaſticis* capite ſexto, quod ſit locus ille in publico ſtatutus, ut qui in eo conſiſtunt, ab omnibus videri poſſint. *Tribunal*, quod quemadmodum tribunal, ut præclare conjicit vir doctus Jacobus Pamelius ad S. Cypriani Epiſtolam XXXIV. locus erat excelſus, ex quo jus Tribubus reddebatur: ita concionum locus in ſublimi poſitus erat, ut commodius ex eo Euangelica lex populo traderetur. *Ambo* vero, quaſi aſcenſus, ſeu locus editus, a verbo ἀναβαίνω hoc eſt aſcendo, quod gradibus ad eum aſcendebatur: quamquam ſcio Ambonis etymon ab aliis aliunde deduci. Ejus loci ſitus fuit olim haud dubie, qui nunc eſt, ſcilicet extra Sanctuarium, muro, & cancellis ab Eccleſiæ navi diſcretum. Ad ambonem duplex patebat aſcenſus, & in illius ſuperiori parte bini erant gradus; alter altior, in quo Euangelium legebatur; inferior alter, in quo Epiſtola, ut conſtat ex Ordine Romano ita monente: *Subdiaconus, qui lecturus eſt, aſcendit in Ambonem, ut legat, non tamen in ſuperiorem gradum, quem ſolet aſcendere qui Euangelium lecturus eſt.* In Ambone jam a primis Chriſtianæ Religionis ſæculis ſolemniter in ſacra miſſa Euangelium decantari conſueviſſe teſtatur S. Cyprianus, Epiſtola XXXIV. qui loquens de Celerino Lectore ordinato, hæc ait: „ Hunc ad nos fratres dilectiſſimi cum tanta Domini dignatione venientem teſtimonio, & miraculo ejus ipſius, qui ſe perſecutus fuerat illuſtrem, quid aliud quam ſuper pulpitum, ideſt ſuper Tribunal Eccleſiæ oportebat imponi, ut loci altioris celſitate ſubnixus, & plebi univerſæ pro honoris ſui claritate conſpicuus legat præcepta, & Euangelium Domini, quæ fortiter, ac fideliter ſequitur?

Rationes propter quas in altiori loco Euangelium legeretur, multæ a ſcriptoribus referuntur. Binas indicat Innocentius Romanus Pontifex ejus nominis III. Prima eſt,

ma eſt, ut ſignificaretur debere legem Euangelicam palam ante oculos omnium enuntiari, non autem in latibulis occultorum locorum, ut faciunt hæretici; altera ad commemorationem aſcenſus Domini ad montem, ut turbas doceret. Innocentii verba hæc ſunt lib. III. *De myſter. miſſæ.* cap. XLIII. „ Diaconus in Ambonem aſcendit, ut annuntiet Euangelium, ſecundum illud Propheticum Iſaiæ cap. XL. *Supra montem excelſum aſcende tu, qui Euangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam.* Et Dominus inquit in Euangelio: Matthæi cap. X. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*; nam, & ipſe Dominus aſcendit in montem, ut Euangelium prædicaret. Matthæi cap. V. Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis, lib. III. *De divin. officiis* cap. XVIII. ob id potiſſimum ex altiori loco Euangelium legi commemorat, ut ſcilicet Euangelicæ prædicationis excellentia, & auctoritas deſignetur: *Excellentior*, inquit, *locus, in quo Euangelium legitur eminentiſſimam doctrinam Euangelicæ prædicationis, atque manifeſtiſſimam auctoritatem judicandi ſignat.*

Neque tantum in Ambonibus Euangelia, verum orationes etiam, ſeu ſermones ad populum recitabantur, ut nimirum concionator facilius poſſet ac commodius ab omnibus audiri. Socrates quidem hanc rei cauſſam affert *In hiſtoria Eccleſiaſtica*, lib. VI. cap. V. loquens de S. Joanne Chryſoſtomo: *Joannes Epiſcopus, cum Eutropius ad baſim altaris procumberet, & præ metu conſternatus eſſet, ſedens in ſuggeſtu, unde antea quo facilius audiretur concionari ſolebat, orationem in reprehenſionem ejus habuit*: Quæ verba a Socrate accipiens Nicephorus ſic ait, libro XIII. hiſtor. cap. IV. *Tum Joannes abſurdum Eutropii conatum arguens, luculentam habuit orationem in ambone, ſeu ſuggeſtu, qui mos ejus erat, cum populum doceret, ut omnes vocem ejus exciperent.* Sozomenus

menus etiam de eodem agens Chryſoſtomo, idipſum confirmat: *Tanta vero frequentia eorum erat, qui concionibus illius inhiabant, ac ſatiari non poterant, ut quoniam illi ex mutuo compulſu, atque obtritu periclitarentur, dum ſinguli prorſum nituntur ſemper, ut propius adſtantes dicentem certius audiant, ipſe medium ſe omnibus exponens e ſuggeſtu lectorum docuerit.* Et ne quis dubitet quin aliis quoque fuerit conſuetudo, habendi ſcilicet ſermones ad populum in Ambone. Iſo magiſter *De miraculis S. Othimari Abbatis* cap. IV. ſequens item profert teſtimonium: *Quendam Archipresbyterum Ambonem conſcendere, ac vice ſui ſermonem ad populum facere juſſit.*

Tandem ut paucis varios Ambonis uſus aperiam: ex illo clerici Ordinum inferiorum pſallebant, juxta Laodiceni, can. XV. Carthaginenſis IV. can. X. & Romani Concilii, Gregorio Magno Summo Pontifice, anno DXCVI. habiti, præſcriptum. Ibi Lectores clerici ſacros libros ad plebem legebant; ibi coronati Imperatores, ut teſtantur Theophanes, & Codinus *De offic. Palat.* cap. XVI. ibi recitata ex diptychis fidelium, tum viventium, tum defunctorum nomina: ibi Epiſcoporum edicta, juſſa, atque cenſuræ publicabantur; ibi etiam alii libelli, formulæ, monita, quæ fieri nota populo congruens erat, Epiſcopi juſſu a Subdiacono, vel a Lectore promulgabantur. Ibi inſuper Summi Pontifices coram univerſo populo, Euangelium portantes, invocato Trinitatis nomine, de objectis criminibus ſe purgare conſueverunt, quemadmodum de Pelagio Papa, atque aliis refert Anaſtaſius Bibliothecarius.

Ambonum uſum ubique fere obſoletum reſtituere ſtuduit, juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam S. Carolus Borromæus, cujus verba in actis Eccleſiæ Mediolanenſis hæc ſunt. „Habenda eſt quoque in Eccleſiis inſignioribus, ac præſertim in Baſilicis cathedralibus ratio Ambonum: quos

quos & magnos, & ornate confectos, & tabulis marmoreis ornatos extitisse, in Basilicis Romanis perspici licet, & alibi etiam, æneis cælato Sacrarum Imaginum opere expressis. Item duo pro Ecclesiarum magnitudine constitui possunt; unus altius extructus, de quo Euangelium, alter de quo Epistola, lectiove Sacræ Scripturæ in majoribus solemnitatibus pronuntietur; hicque paullo depressior sit, quam ille unde Euangelium legitur. Unus etiam ambo, ut in multis Ecclesiis cernitur, esse potest, qui & Euangelii, & Epistolæ simul lectioni usui sit, ita tamen, ut in eo locus, unde Euangelium recitatur, aliquanto eminentior sit, pars vero unde Epistola, aliquo gradu inferior sit. In Ambone, ubi potest, constituantur duo graduum ordines, unus quo fit ascensus ad Orientem versus, alter Occidentem spectans, quo fiat descensus. Si unus tantum ambo in Ecclesia constituendus sit, is a latere Euangelii statuatur. Si duo, unus unde scilicet Epistola legitur, a latere Epistolæ, alter vero qui est Euangelii, ab Euangelii latere constituatur, ita ut diaconus inde Euangelium legens, ad meridionalem Ecclesiæ partem vertatur, ad quam viri conveniant. Atque ii quidem (concludit S. Carolus) Ambones, e marmore, lapideve alio confici debebunt, & ornari præterea aliquo piæ sculpturæ opere, aut e lateritio lapide exædificari possunt; exornari tamen eos decet laminis marmoreis, lapideisve ornate elaboratis, aut æneis, iisque inauratis, quales hodie etiam visuntur.

Cum autem, ut dictum est, in Ambone Euangelium præcipue legeretur, mirum videri non debet, si Religiosissimi Ecclesiarum Præsules in illum auro, argento, picturis, aliisque id genus, exornandum studia sua conferebant. Produnt id passim Ecclesiasticæ historiæ, ac potissimum vitæ veterum Romanorum Pontificum. Præteriri tamen hoc loco non debet ille ritus, quo olim divinus Euan-

Euangeliorum liber, quum diaconus ſacram lectionem caneret, ſupra dorſum Aquilæ lapideæ locari conſuevit. Cujus rei indicia adhuc in quibuſdam Urbis Ambonibus licet agnoſcere. Facile vero mihi perſuaſum eſt, fuiſſe hunc ritum in aliis Chriſtiani orbis Templis ſervatum; quandoquidem antiqui ſcriptores Gulielmus Durandus, & Baufridus Bouſſardus, aliique complures, ejuſdem veluti communiter recepti non ſine myſterio meminere. *Legitur etiam*, ait Durandus, *In Rationali divinorum officiorum* lib. IV. cap. XXIV. *de more Euangelium ſuper Aquilam*, Bouſſardus vero: *Legitur Euangelium communiter ſuper aquilam; quæ ſignificat Joannem Principem Euangeliſtarum*. Uterque etiam in aſſerendo conveniunt, ſolitum fuiſſe aquilæ dorſum aliquo panno laneo, ſericove cooperiri; ad ſignificandum, inquiunt, mollitiem cordium Chriſtianorum; & quod Euangelium corda gentilium emollivit. Dominicus Macrus Melitenſis, qui ſcripſit elapſo ſæculo collabente, teſtatur in Eccleſia Conventuali Urbis Melitæ ritum adhuc vigere. *Canitur enim*, inquit, *Euangelium ſuper æneam aquilam mira pulchritudine fabrefactam*.

Supereſt modo ut videamus quorſum antiquitus in Eccleſia Sacra Euangelii lectio haberetur, dextrorſumne, ubi erant viri, an vero lævorſum, ubi mulieres conſiſtebant? Antequam id explicemus, juvabit ſcire priſcos fideles ſolitos fuiſſe in Eccleſiam convenire, ſervato ſexus, & ordinis diſcrimine: nam viri a mulieribus, virgines a nuptis, Clerici a ſecularibus ſejungebantur. Id quidem teſtatur in primis pervetuſtus Auctor Apoſtolicarum conſtitutionum lib. II. cap. LXI. Ait enim Eccleſiam conſtrui ſolitam longo ſitu inſtar navis, in cujus medio, quod gremium appellamus, Epiſcopus una cum clero ad utrumque latus poſito ſedeat: ex altera Eccleſiæ parte viri, ex altera vero manerent mulieres; & ſicut loco invi-

invicem diſtincti erant, eodem quoque modo portæ; ut qua viri ingrederentur, diſcreta eſſet ab ea, quæ fœminis tantum pateret; & ſicut virorum portæ Oſtiarius præerat, ita Diaconiſſæ demandata erat cura portæ mulierum. Hæc omnia inquit Auctor, ac ſubdit: *Adoleſcentulæ rurſum, ſi ſit locus ſeorſum maneant; cæteroqui, poſt mulieres ſtent. Nuptæ, & quæ jam liberos habent, ſeorſum maneant.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus chriſtianos erudiens, egregium huic rei affert ſuffragium, *Præfatione in catecheſes*; loquens enim de Eccleſia ſic ait: *Hic tamen ſeparentur viri, ut ſint cum viris, mulieres cum mulieribus, ne ſtudium ſalutis ſit perditionis occaſio.* Sed non ſolum, dum eſſent in Eccleſia, verum dum irent etiam, hæc virorum, & mulierum diſtinctio ſervabatur. *Confluunt*, inquit S. Auguſtinus, libro II. *De Civitate Dei, cap.* XXVIII. *Populi ad Eccleſias, honeſta utriuſque ſexus diſcretione. Erat enim in illis*, (ut ſapienter ſcribit Tertullianus, De præſcriptionibus adverſus hæreticos) *gravitas honeſta, apparitio devota, & proceſſio modeſta.* Meminit ejuſdem diſciplinæ S. Joannes Chryſoſtomus; qui tamen corruptos ſui temporis mores hiſce redarguit verbis, homilia LXXIV. in cap. Matt. XXIII. *Oportebat quidem anteriore pariete a mulieribus diſſeparari; verum quoniam non vultis, neceſſarium eſſe Patres noſtri putaverunt ſaltem his ligneis parietibus vos diſſeparare. Audivi autem Ego a ſenioribus non fuiſſe hos parietes ab initio; In Chriſto enim Jeſu non eſt mas, neque fœmina. Apoſtolorum etenim tempore una viri, & mulieres orabant, & mulieres vere mulieres, & viri ſimiliter viri erant. Nunc vero e contrario mulieres quidem meretricum mores aſſumpſerunt; viri autem furorem equorum imitantur.* Eundem morem ab Ordine Romano, *De officio miſſæ* apud Hitorpium, aliiſque poſterioris ævi Scriptoribus memoratum, deinde vero deſuetum Clericos Regu-

Regulares, quos Theatinos vocant, primos omnium in ſacris ædibus ad Eccleſiæ decorem, honeſtatemque revocaſſe conſtanter aſſerit Eruditiſſimus Antonius Caracciolus, Clericus & ipſe Regularis, *In notis ad conſtitutiones ſui Ordinis*, probatque ms. teſtimonio Galeoti. Noſtro hoc ſeculo Joſeph Maria Cardinalis Tomaſius ejuſdem inſtituti, dignitate, doctrina, ac virtute Eminentiſſimus in ſuo titulo Equitii, appellaturque vulgo S. Martini ad Montes, ſummo ſtudio tabularum parietes hinc inde conſtituit, quo viri a mulieribus, juxta veterem, atque laudabilem Eccleſiæ morem ſeparentur; verum non multo poſt ſapientiſſimi Cardinalis obitum tabulatio omnino ſublata eſt.

His jam congrue prænotatis, reſpondendum nobis eſt ad quæſtionem propoſitam. Dicimus itaque quod olim quum Euangelium in Ambone legeretur, eſſentque in Templis pro viris, & mulieribus loca diſtincta, Diaconus vertebat ſe verſus meridiem, ad partem ſcilicet virorum, nunc vero ad aquilonem vertitur; ejuſque mutationis cauſſam, & originem ex miſſis privatis proceſſiſſe, in quibus Sacerdos non in Ambone, ſed in altari verſus ſeptentrionem legit Euangelium, docet his verbis Micrologus, *De Eccleſiaſticis obſervation.* cap. IX.„ Quod ad legendum Euangelium non ſe ad meridiem vertunt, hoc ideo inoleviſſe credimus, quia nec Ordo illis injunxit, ut in ambonem ad legendum ſicut Diacones aſcenderent, ubi neceſſario ad maſculos potius, quam ad fœminas ſe vertere deberent. Nam juxta Eccleſiaſticam conſuetudinem ad Altare legunt, ubi nulla diverſitas auditorum approximat, quæ legentes magis in hanc partem, quam in aliam converti exigat. Nuſquam ibi fœminæ, ſed ſoli Religioſi ad dexteram, & ad ſiniſtram permittuntur ſtare. Ad ſiniſtrum vero cornu altaris habent librum cum legunt Euangelium, vel cum ſacrificant, ut in

dextera parte ſint expeditiores ad ſuſcipiendas oblationes, ſive ad conficienda Altaris ſacramenta. Unde ad aquilonem magis quam ad meridiem verſi videntur, cum annuntiant Euangelium. Hinc itaque illa uſurpatio emerſiſſe videtur, ut etiam Diacones in ambone contra Romanum Ordinem ſe vertant ad aquilonem, potiuſque ſe, ad partem fœminarum, quam maſculorum vertere non vereantur. Quæ uſurpatio jam adeo inolevit, ut apud pleroſque quaſi pro Ordine teneatur. Sed quia certiſſime contra Ordinem eſt, a diligentioribus Ordinis ſervatoribus merito refutatur. Sic ille. Hinc apparet quam verum ſit quod a doctiſſimo Cardinali Bona in tractatu: *Rerum liturgicarum* ſæpe numero inculcatur, multa hodie pro lege haberi in his, quæ pertinent ad Eccleſiaſticas obſervationes, quæ ſenſim ex abuſu irrepſerunt; quorum originem cum Recentiores ignorent, varias conantur congruentias, & myſticas rationes invenire, ut ea ſapienter inſtituta vulgo perſuadeant. Porro iſti, ut ſcite S. Hieronymus de Origene dixit, ingenii ſui adinventiones faciunt Eccleſiæ Sacramenta.

Diaconus quibus ornatus veſtibus Euangelium legeret?

CAPUT VII.

INter hæreticos, qui Eccleſiam Catholicam perturbarunt, ſceleſtiſſimi procul dubio fuere recentiores, qui a Diabolo acti, uſum quoque ſacrarum veſtium irridere non erubeſcunt, quem pia mater Eccleſia divino ducta Spiritu, ab ipſis Apoſtolis acceptum ad noſtram uſque tranſmiſit ætatem. Joannes Calvinus peſtilentiſſimo libello, quem indicem reliquiarum appellat, Caſulam S. Pe-

S. Petri, quam Romæ dicit oſtendi, ludibrio afficiens, ſic tandem effutit: *Quoad caſulam ejus ſpectat, eſt quod Papiſtarum inſcitiam merito deploremus: hos dicere non pudet Petrum geſtaſſe caſulam, quia ſcilicet mores ætatis Apoſtolicæ prorſus ignorant; tempus ſane nondum advenerat, ut miniſtri Eccleſiæ divina larvati celebrarent, mimiciſque ludis, ut poſtmodum factum eſt, ſicque nunc uſque in ſacris, laſcivirentur.* At hic, ut doctiſſimus notat Sauſſayus, *Panopliæ Sacerdotalis* parte I. libro VI. *de caſula* cap. VI. craſſa ejus ignorantia perſpicue ſe prodit. Si enim primæ antiquitatis legit Scripturas, qui fit ut neſciat Jacobum Apoſtolum, cognomento fratrem Domini, primum Hieroſolymorum Antiſtitem podere indutum, ſeu linea tunica talari Sacerdotali ſacris operatum? Teſtatur apud Euſebium Egeſippus vicinus apoſtolicorum temporum; ipſeque Euſebius libro VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, cap. XVIII. Addit S. Epiphanius *hæreſi* LXXVIII. etiam bracteam in fronte geſtaſſe, ſeu laminam auream, quæ inſigne erat Pontificalis dignitatis; quaque in indicium ejuſdem Pontificalis honoris cæteros Apoſtolos uti conſueviſſe par eſt credere, inquit magnus Annalium parens Baronius, ad annum XXXIV. Nam & ſi hæc de ſingulis non ſcribantur, ſatis tamen ad demonſtrandam rei veritatem eſſe videtur, quod non modo Jacobus, ſed & Joannes Euangeliſta eo uſus capitis ornamento perhibetur; id enim Policrates, & ipſe Epheſiorum Epiſcopus in ea, quam ad Victorem Romanum Pontificem ſcripſit Epiſtola, apud Euſebium libro V. *hiſtoriæ* cap. XXIII., & S. Hieronymum, *de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Policrate*, diſertis verbis teſtatur. Cæterum Planetæ S. Petri ab Antiochia Pariſios delatæ, & in Templo S. Genoveſæ collocatæ meminit in vita S. Hugonis Cluniacenſis alter Hugo ejuſdem Monaſterii Monachus, apud Surium ad diem XXIX. Aprilis. Atque ut ſileam de penū-

la S. Pauli Troade relicta, quam caſulam fuiſſe plerique viri docti arbitrati ſunt, refert Joannes Diaconus ſacram S. Joannis Euangeliſtæ veſtem S. Gregorio fuiſſe tranſmiſſam. Itaque evidentiſſime conſtat, quam ignarus Calvinus fuerit ſacræ antiquitatis, & quam inepte garriat, temereque cum ſuis aſſeclis effutiat veſtes ſacras in divinis officiis numquam Apoſtolos uſurpaſſe.

Mirum illud eſt quod non ſolum hæretici, ſed & Catholici quidam perſuaſum habeant nec Apoſtolos, nec eorum ſucceſſores in veſtibus ſacris celebraſſe, ſed tantum quotidianis uſos eſſe. Audacter id aſſerit Honorius Auguſtudonenſis, ſtatimque addit: *Sed Clemens tradente Petro uſum ſacrarum veſtium ex lege ſumpſit, & Stephanus Papa miſſas in ſacris veſtibus celebrari conſtituit.* Quæ verba quis non videt, quam inconſiderate protulerit, quamque hæc ipſa inter ſe mirifice pugnent. Si enim tradente Petro Clemens uſum ſacrarum veſtium ſumpſit, quomodo Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, Apoſtolorum Principis traditionem neglexerunt? An tradidit Petrus, quod ipſe non ſervabat? Vel Clemens ejus ſucceſſor non fuit? In eo autem quod de Stephano effatur, quis eſt vel parum in Eccleſiaſtica hiſtoria verſatus, qui facile non advertat quantopere Honorius hallucinetur? Nam Stephanus Pontifex tantummodo inſtituit, *ut Sacerdotes, & Diaconi numquam ſacris veſtibus, niſi in Eccleſia uterentur.*

Non minus levia videntur eſſe, quæ alii proferunt, qui ut probent Apoſtolos profanis indutos veſtibus divina officia peregiſſe, naſcentem Eccleſiam ſumma rerum inopia laboraſſe, & pecunia caruiſſe obtendunt, qua veſtes peculiares ad uſum ſacrificii compararet: tum inquiunt, gentiles id nequaquam permiſſuros, quorum perſecutioni ſe palam expoſuiſſent, ſi diverſa e communibus veſtimenta adhibuiſſent. Sed & hæc ipſa futilia obje-

objecta egregie diluit Joannes Cardinalis Bona libro I. *Rerum liturgicarum* cap. v. Primum auctoritate actuum Apostolorum, ubi constat eos, qui ad Christum convertebantur prædia vendidisse, eorumque pretium Apostolis obtulisse, quo abunde poterant, & egenorum necessitatibus providere, & vestes ac reliqua emere, quæ ad sacrificii usum requirebantur. Alterum vero de gentilibus ita refellit. Non enim, inquit, publice sacris operabantur Apostoli, sed in locis ab infidelium notitia remotis, servata ab omnibus inviolabilis silentii fide; Unde est illud Tertulliani in Apologetico cap. VII. *Si semper latemus, quando proditum est quod admittimus? Imo a quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis; non utique, cum vel ex forma, omnibus mysteriis silentii fides debeatur. Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia? Cum semper etiam piæ initiationes erceant profanos, & arbitris careant.* Nihil igitur obstat Apostolos sacris vestibus uti potuisse, imo consentaneus Apostolicæ pietati, & reverentiæ erga divina mysteria peculiaris vestimenti usus videtur. Nam cum in veteri Testamento præceperit Dominus, ut faceret Aaron Sacerdoti, & filiis suis vestes sanctas in gloriam, & decorem, ut non nisi loti, vestibus sacris induti Sacerdotio fungerentur *Exodi* cap. XXVIII. & XXXI. In sacrificiis tandem, quæ tantum ad emundationem carnis faciebant; quanto magis iste vestimentorum ritus erat Apostolis observandus in consecratione Corporis, & Sanguinis Domini, in quibus consistit emundatio carnis, & spiritus? Cæterum dicant recentiores eruditi quid velint. Malo ego quam illis, Concilio Tridentino assentiri, a quo inter cætera, quæ pia mater Ecclesia sacrificio adhibet ex Apostolica disciplina, & traditione, sacræ vestes recensentur. *Sess.* XXII. *cap.* V.

De Sandaliis.

CAPUT VIII.

HIs ita primum diſputatis, tempus eſt ut propria Diaconorum veſtimenta explicemus, quibus in miniſterio divino, & conſequenter ad Sacram Euangelii lectionem uterentur. In primis, Sandaliorum uſum fuiſſe illis antiquitus æque ac Epiſcopis, & Presbyteris, aliiſque miniſtris familiarem, teſtis eſt locupletiſſimus Amalarius Fortunatus libro II. *De Eccleſiaſticis officiis*, cap. XXIII., qui etiam varia Clericorum Sandalia, eorumque differentiam, ac myſticos ſenſus apprime exprimit. Formam vero Sandaliorum ita deſcribit Auctor nomine Alcuini, *De divinis officiis* cap. *Quid ſignificent veſtimenta*: Sandalia dicuntur ſoleæ. Eſt autem genus calceamenti, quo induuntur miniſtri Eccleſiæ; ſubterius quidem ſolea muniens pedes a terra, ſuperius vero nil operimenti habens patet; quo juſſi ſunt Apoſtoli a Domino indui. Significat autem miniſtrum verbi Dei non debere terrenis incumbere, ſed potius cæleſtibus inhiare, & prædicationem ſuam nulli occultare. Sic ille.

Erat vetuſtior Sandaliorum uſus, ſicut modo a Religioſis Diſcalceatis deferuntur, nimirum ex ſuperiori parte aperta, inferiori vero tecta; habetque myſticam ſignificationem, ait Rabanus Maurus lib. I. *De inſtitutione Clericorum* cap. II., *ut pes neque tectus ſit, neque nudus ad terram, ideſt ut neque occultetur Euangelium, nec terrenis commodis innitatur*. Has autem Diaconi quoque eſſe muneris partes, ipſa verba quibus etiamnum eum alloquitur, ac inſtruit Epiſcopus dum ordinat, perſpicue docent, quæ itidem ad Sandaliorum ſignificationem, ut notat Sauſſayus, libro VII. *Panopliæ Epiſcopalis*, cap. VIII. appoſite accommodantur. Sic enim ordinandos Diaconos

nos compellat Epiſcopus ex Pontificalis Romani præſcripto: *Curate ut quibus Euangelium ore annuntiatis, vivis operibus exponatis; ut de vobis dicatur: Beati pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona: habete pedes veſtros calceatos Sanctorum exemplis in præparatione Euangelii pacis, quod vobis Dominus concedat per gratiam ſuam.* Atque hæc de Sandaliis ſufficiant, quæ licet multo ab hinc tempore, quantum ad Presbyteros, & Diaconos, ac cæteros inferioris ordinis miniſtros pertinet, in deſuetudinem abierint, placuit tamen de illis diſſerere, ut nihil ſacræ antiquitatis ignoraretur, quod rem noſtram propius attingeret.

De Amictu, Alba, & Cingulo.

CAPUT IX.

POſt Sandalia in Eccleſiæ veſtimentis ſequitur Superhumerale, quod fit ex lino puriſſimo, inquit Antiquus Scriptor de divinis officiis, Albini Flacci Alcuini nomine editus: quibus verbis amictum voluiſſe ſignificare, quem primum ſacra facturi capiti imponimus, humeriſque injicimus, certius eſt quam ut inficias iri queat. Ambroſiani ſuper Albam Amictum induunt; quod olim etiam Græci faciebant. Quamvis enim hodie ejuſmodi indumento non utantur, ſatis tamen colligitur ex quadam Soletinorum Archidiaconi Epiſtola ad Majoranum Molphictenſium Epiſcopum miſſa, in qua ſingulatim Græcorum veſtimenta recenſentur; inter quæ mentio fit etiam de Amictu a Græcis Sacerdotibus olim adhibito. Quantum ad myſticas Amictus ſignificationes pertinet, Gabriel Biel, ſuper Can. miſſæ, lect. II. Guilelmus Durandus libro III. *Rationalis divinorum officiorum* cap. II., ac alii plerique exiſtimant denotare velamen ſeu ope-

operimentum, quo perfidi Judæi velabant faciem Christi, dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* At amictu caput Sacerdotis, non facies velatur. Quamobrem præ cæteris mihi verior videtur expositio Amalarii Fortunati sic ajentis: *Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus; in collo est namque vox; ideoque per collum loquendi usus exprimitur; per Amictum intelligimus custodiam vocis.* Consentit Pontificale Romanum, ubi in traditione amictus, habetur hæc formula: *Accipe Amictum per quem designatur castigatio vocis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Nec quidquam officit respectu Diaconorum nullam hujus vestis mentionem fieri a Scriptoribus priscis. Enim vero Josepho Vicecomiti, Saussayo, aliisque viris doctis probabile videtur, illum a Diaconis indutum fuisse; quandoquidem alba numquam adhibita fuit sine amictu. Hinc phrasis illa frequens in Romano Rituali, Titulo *De benedictionibus*: *Sacerdos indutus Amictu, Alba, Cingulo &c.* Fuisse præterea Albam certum in divino ministerio Diaconi habitum, disertis verbis testari videtur Concilium Carthaginiense IV. decernens: *Ut Diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis Alba utatur.* Ejusdem ritus mentio ad rem ipsam, de qua agimus valde pertinens habetur in Concilio Narbonensi, quo statuitur, *Ut Diaconus, aut Subdiaconus, vel lector antequam missa consummetur, Alba se non præsumat exuere.*

Est autem Alba sacrum indumentum, vocaturque etiam camisia, ac poderis. Unde Isidorus libro XIX. *Originum* cap. XXI. *Poderis est tunica Sacerdotalis linea corpori adstricta usque ad pedes descendens, hæc vulgo camisia vocatur.* Item græce ποδήρης dicitur, cujus meminit liturgia S. Joannis Chrysostomi, ac sæpe numero S. Philotheus Patriarcha in libro, qui *Ordo instituendi Diaconum*

num inſcribitur. Simeon vero Theſſalonicenſis, *Sticharium*, inquit, *lucidi veſtitus Angelorum imitamen indult; ſæpe enim in veſte fulgenti Angelos apparuiſſe novimus, ut & illum in monumento Salvatoris coopertum ſtola candida*. Quamobrem ſatis liquet, quantus ſit Græcorum abuſus Albam variorum colorum induentium; non tamen contemnendus videtur eorundem ritus, quo, ut ſcribit Demetrius Chomatenus, Epiſcopi, & Diaconi in quadrageſimali, & mæſtitiæ tempore debent deferre ſticharium coloris rubri; quia color hic apud eos eſt mæroris index. Id etiam noſcere licet in Pontifice Maximo, qui tempore Dominici Adventus, & Quadrageſimæ cappam, vel pluviale rubrum induit in Pontificio ſacello. De Alba nigri coloris in die Paraſceves adhibita teſtatur Sacerdotale Alberti Caſtellani his verbis: *Parantur etiam quatuor Sacerdotes, vel duo ad minus induti Camiſiis nigris cum Amictu, & Cingulo ejuſdem coloris*.

Quoad varia ejus myſteria pertinet, Alba veſtem illam indicat qua Herodes illuſit Chriſtum, ſi Gulielmo Durando credimus. Item gloriam Dominicæ Reſurrectionis, quam nuntiantes Angeli apparuerunt in veſtibus albis, ut ſentit Stephanus Eduenſis Epiſcopus. Præterea ſua longitudine perſeverantiam in bona actione ſignificat: *Hæc ad talos uſque deſcendit*, ait Robanus Maurus, *quia uſque ad finem vitæ hujus, bonis operibus inſiſtere debet Sacerdos*. Quæ ratio æque militat in Diaconis, quos etiam Sacerdotum nomine, uſitato a priſcis Scriptoribus dicendi genere intelligi conſueviſſe, Eccleſiaſticarum rerum peritos minime præterit. Sane S. Optatus Milevitanus libro primo *De ſchiſmate adverſus Donatiſtas*, Sacerdotium tribus veluti gradibus dividit: in quorum primo Epiſcopos, in ſecundo Presbyteros, in tertio denique Diaconos collocat.

Tandem Alba ne defluat, greſſumque impediat,

Cingulo coercetur, quod in veteri lege baltheus, a Græcis vero ζῶμα dicitur. Hoc Cingulo volunt nonnulli Auctores funes, ac flagella, quibus in passione sua Christus Dominus ligatus, & cæsus fuit, repræsentari. Alii docent castitatem notari, quæ circa lumbos debet accingi, ut restringat concupiscentiam carnis. Quamvis enim ad universos Christianos pertineat, sacros tamen Ecclesiæ ministros præcipue spectat illud Christi monitum, Lucæ XII. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Hanc quidem significationem exprimit oratio illa, quam pronuntiamus, quum renes cingulo constringimus: *Præcinge me Domine Cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ, & castitatis.* Atque ut ea, quæ hactenus de Amictu, Alba, & Cingulo disserui, paucis cum S. Bernardo concludam: *Tria sunt ministris Dei communia vestimenta: Cœlestis sapientia, quæ est ephod, & caput operit; perseverans justitia, quæ poderis est, & totum corpus induit; carnalis continentia, quæ lumbos cingit.*

De Manipulo, & Stola.

CAPUT X.

INduit præterea Diaconus, divina obiturus officia, Manipulum, & Stolam. Manipulus erat olim mappula, sive sudarium brachio sinistro alligatum, quo sudor, & sordes abstergebantur. Amalarius Fortunatus, *Sudarium*, inquit, *ad hoc portamus, ut detergamus sudorem; in manu sinistra portatur, ut ostendatur in temporali vita tædium nos pati superflui humoris.* Duravit autem hunc mappulæ, sive sudarii lintei usum, donec in locum ejus manipulus, non ad tergendas sordes, sed ad orna-

ornatum ſuffectus eſt ejuſdem materiæ, & texturæ, ex qua Stola, ac reliqui habitus fieri ſolent, docet Cardinalis Bona, libro I. *Rerum liturgicarum* cap. XXIV. additque hanc mutationem ſæculo decimo factam, ex eo quod in veteri Miſſa, ex Codice Rotaldi Abbatis Corbejenſis, qui vixit anno DCCCCLXXX. Manipuli mentio fiat. Quantum ad recentes ritus, ex Cæremoniali Epiſcoporum libro I. cap. XIX. Diaconus, & Subdiaconus in veſtiendo ſacris veſtibus Epiſcopum, non debent habere Manipulos in brachiis, ſed poſtquam ille indutus fuerit. Imo ætate Davantriæ, Diaconus non ſumebat Manipulum, niſi quando cantaturus erat Euangelium, ut in ejuſdem ms. Cæremoniali habetur. Græci, & Maronitæ duos Manipulos, quibus utrumque ornant brachium geſtant. Romæ in Capella Pontificia Diaconus, & Subdiaconus juxta veterem ritum, præter Manipulum deferunt in Albæ manicis fruſtilla coloris currentis feſti expanſa. Significat tandem Manipulus vigilantiam, qua Sacri Miniſtri torporem animi excutere debent, ad bona opera jugiter incumbendo, ex Innocentio Papa III. *De Myſter. Miſſæ* cap. LIX. Item cordis compunctionem, quam ad Altare deferre debent, ut monet Stephanus Eduenſis. Conſonat illa oratio, quæ dici ſolet, dum Manipulum brachio imponimus: *Merear Domine portare Manipulum fletus, & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.*

Stola, de cujus vario uſu multa congerunt Eruditi Scriptores de re veſtiaria, Bayſius, Ferrarius, ac Sauſſayus *In Panoplia Sacerdotali*, & noviſſime Joannes Baptiſta Thyers in ſingulari, atque eruditiſſima diſceptatione, *De Stola in Archidiaconorum viſitationibus geſtanda a Paræcis*; ex Græco verbo στολή talarem veſtem ſignificat; cujus formæ fuiſſe videtur Stola illa ſacra ex aureis filis contexta, quam, ut Theodoretus ſcribit, libro II. *Hiſtoriæ* cap. XXVII. Conſtantinus Imperator ad Eccleſiam

Hierosolymitanam cohonestandam, Macario Episcopo dono dederat, ut ea amictus sacrosancti Baptismatis Sacramentum impertiret; quam deinde mercatus Thymelicus quidam Saltator, eaque in scena indutus, inter saltandum cecidit, ac contritus interiit. Hodie forma Stolæ, qua Sacerdotes ubique utuntur, non est oblonga vestis totum corpus ambiens, sed veluti torques a collo per humeros ad pectus pendens, & usque ad genua protensus, cujus initium deducit Vir doctissimus Joseph Vicecomes libro I. *De ritibus Missæ*, cap. V. a Sancto Silvestro Papa; ait enim de illo liber Pontificalis Damaso adscriptus: *Hic constituit, ut Diaconi Dalmaticis, & palla linostima læva eorum tegeretur*. Nomine hujus pallæ nihil commodius intelligi docent viri docti, quam Stolam Diaconalem. Linostima, seu potius, ut scribit Isidorus, libro XIX. *Originum* cap. XXII. linostema nuncupatur, quod ex lana, linoque sit contexta, habeatque in stramine linum, in trama vero lanam, ut recte notavit laudatus Thyers, cap. XVII. Atque hujus nomenclaturæ meminit S. Carolus in actis Ecclesiæ Mediolanensis. In humero autem sinistro a Diaconis defertur, ad discrimen Sacerdotalis a collo ante pectus pendentis.

Erat itaque palla hæc linostima, Stola, quam Græci pariter, ac Latini Patres *Orarium* dixere. Ejus non semel meminit S. Joannis Chrysostomi liturgia, ac Synodus Laodicena, S. Silvestro Pontifice Maximo coacta, ubi Subdiaconis, & lectoribus, ne utantur Orariis prohibetur. Quum autem variis temporibus varii etiam exoriantur abusus, sicut Bracarensis I. Concilii tempore, anno DLXIII. celebrati, Can. XXVII. pudebat Diaconos patenter Orarium gestare, atque ideo sub tunicam abscondebant; ita ex adverso, tempore Concilii Toletani IV. anno DCXXXIII. Can. XXXIX. adeo intumuerunt, ut

ut bina Oraria deferre ambirent, quod ne amplius fieret, vetitum eſt. Concilii verba hæc ſunt: *Si Orarium duo nec Epiſcopo induere quidem licet, nec Presbytero; utique multo minus Diacono, qui miniſter eorum eſt. Unum ergo Orarium oportet levitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quod orat, ideſt prædicat: dexteram autem oportet habere liberam, ut expeditius ad miniſterium Sacerdotale diſcurrat; caveant ergo amodo levitæ gemino uti Orario, ſed uno tantum, & puro, nec ullis coloribus, aut auro ornato.*

Orarii etymon unde deductum ſit, magna inter Scriptores concertatio eſt. Creditus Alcuinus, *De divinis officiis*, cap. *Quid ſignificent veſtimenta*, *Orarium*, inquit, *ſtola dicitur, eo quod Oratoribus, ſeu prædicatoribus concedatur*. Petrus Bleſenſis Serm. XLI. aliter derivat: *Orarium dicitur, quia propter offenſas populi ſui cum humili genuflexione debes ſupplicare*. Balſamon in Canonem XXII. Concilii Laodiceni exiſtimat a verbo Græco ὁράω, ideſt *obſervo*, derivari, ſic inquiens: „Orarium ferre eſt tantum Diaconorum; hi enim eis, qui celebrant aſſiſtentes, & ſanctarum orationum myſteria, & Presbyterorum prolationes obſervantes eis, qui ſunt in ſuggeſtu Diaconis per orarium ſignificant quando debeat fieri pronuntiatio, ſeu prolatio precationum Catechumenorum, & reliquorum: & appellatum eſt orarium ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν, quod eſt *obſervo*. Simeon Theſſalonicenſis putat deduci ab *ora*, quæ Heſychio eſt pulchritudo, ſeu venuſtas, quia Diaconum gratiæ venuſtate ornat, & divino decore illuſtrem reddit. Alii aliter ſentiunt; ſed iis prætermiſſis audiamus Petrum Arcudiam libro VI. cap. X. Horarium ab hora, ſive tempore derivantem, quia Diaconus, ait, accepta extremitate ſtolæ tribus digitis, invitat populum ad orandum, Cantores ad pſallendum; oſtenditque horas, & tempus, quo aliquid eſt faciencien-

ciendum: quæ consuetudo etiamnum viget in Græcia. Quamvis autem Orarium commune sit Diaconis, & Presbyteris, a græcis tamen Diacono proprie tribuitur. Stolam vero Sacerdotalem *Epitrachelion* vocant, quod latius est Orario, nec ullis literarum notis exaratum, sicut Orarium Diaconorum, cui ter inscriptum est verbum: *Agios*, ideſt *Sanctus*.

At vero abs re non erit hoc loco quærere, an olim etiam extra Ecclesiam, atque divina officia, Presbyteri atque Diaconi cum Orario, seu Stola incederent? Nonnulli merito id affirmant, quibus nos libenti animo adhærenius. Aperte enim vetera de hac re Concilia, ac prisci Scriptores passim loquuntur. Synodus Moguntina, Leone III. Pontifice Maximo celebrata, anno DCCCXIII. Can. XXVIII. edicit, *ut Presbyteri sine intermissione utantur Orariis, propter differentiam Sacerdotii dignitatis*. Id ipsum expressius cautum est Canone, quem Gratianus Can. XXI. causſa XVII. quæstione IV. & Ivo Carnotensis Episcopus parte X. cap. CXXXIX. Triburiensi Concilio tribuunt, ubi minor pœna infligitur illi, qui injuriam irrogat Presbytero sine Stola ambulanti. Verba Canonis hæc sunt: *Ut Presbyteri non vadant, nisi Stola, aut Orario induti; & si in itinere spoliantur, aut vulnerantur, vel occiduntur non Stola vestiti, simplici emendatione absolvantur; si autem cum Stola, triplici*. Joannes Bona Cardinalis libro I. *Rerum liturgicarum* cap. XXIV. num. VI. putat his locis Orarium vel Stolam improprie sumi debere scilicet pro veste talari, quam re vera sine intermissione deferre tenentur Sacerdotes. Sed dixerim pace tanti Viri, an & hæc explicatio locum habere possit in Canone Concilii Bracarensis I. anno DLXIII. coacti, Joanne III. Summo Pontifice, ubi manifestissime patet Orarium vel Stolam omnino a veste talari distingui; sic enim ait: Canone IX. *Item placuit ut quia in aliquan-*

quantis hujus Provinciæ Eccleſiis Diacones abſconſis infra tunicam utuntur Orariis, ita ut nihil differre a Subdiacono videantur; de cætero ſuperpoſito ſcapulæ, ſicut decet, utantur Orario.

Præterea quis melior legum interpres eſſe poteſt quam mos illorum temporum; quibus ipſæ promulgatæ ſunt leges? Varia nobis ejus rei exempla ſuppeditant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. De S. Mauro Abbate, qui labente ſexto Eccleſiæ ſæculo florebat, teſtatur ipſius vitæ Auctor Fauſtus Monachus, illum recepto ſæculi ſui more, Diaconalem Stolam primo ordinationis ſuæ anno extra rem ſacram detuliſſe. Verba vitæ ſunt iſta apud Clariſſimos viros Lucam Dacherium, & Joannem Mabillonium in ſæculi I. Actorum Sanctorum Ordinis S. Benedicti, pagina CCLXXXI. numero XV. ubi de claudi, & muti cujuſdam ſanatione legitur: *At Maurus ut erat piiſſimus, lacrymis perfuſus, atque in oratione proſtratus, poſtquam diutiſſime oravit, Stolam, cum qua eodem anno jubente beato magiſtro ſuo, ordinatus ad miniſterium fuerat leviticum, & quam juxta morem, ſanctitatis gratia primo indeſinenter ferebat anno, de collo ſuo protulit, & ſuper caput infirmi ſignum Crucis faciens poſuit &c.* Qui ritus ſi ab aliis Diaconis uſurpabatur, certe non alio conſilio, aliove fine, inquit Eruditiſſimus Thyers, quam ut ordinis ſui dignitatem in oculis haberent ſemper, atque a Subdiaconis diſcriminarentur, quemadmodum liquet ex laudato Bracarenſi I. Concilio.

Fortaſſe hæc mihi dicenti quis objectaverit decretum Stephani Papæ I. qui, ut alibi dictum eſt, inſtituit, *ut Sacerdotes, & Diaconi nuſquam ſacris veſtibus niſi in Eccleſia uterentur.* Item Origenis teſtimonium ajentis Homilia XI. in cap. XX. Levitici: *Veſtimenta, quæ ſancta nominantur, non jubentur intra domum uſui deſervire Pontificum, ſed in Templo eſſe, & inde omnino numquam efferri;*

ferri; ſed ad hoc tantum eſſe, ut eis Deo miniſtrans Pontifex induatur, & ſint ſemper in Templo; ad cæteros vero uſus communes utatur communibus indumentis. Tandem S. Hieronymi effatum ita loquentis in cap. XLIV. Ezechielis: *Porro Religio divina alterum habet habitum in miniſterio, alterum in uſu, vitaque communi.* Sed hæc argumenta, quamvis non ſint contemnenda, videntur tamen habere locum, quoties Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus cunctis veſtibus ordini ſuo congruentibus indutus procederet; nequaquam vero ſi una ſola in ſignum ſuæ dignitatis ſine interміſſione uteretur, quemadmodum de Presbyteris, & Diaconis ſupramemorati Canones præſcripſerunt; quibus addi poteſt conſtitutum Ratherii Veronenſis Epiſcopi *In Epiſtola Synodica ad Presbyteros, & ordines cæteros forinſecus*, ideſt per univerſam Diœceſim conſtitutos, quæ tomo ſecundo ſpicilegii Dacheriani reſertur: *Nullus ſine Stola in itinere incedat.* Præ cæteris autem, Epiſcopi olim ſine ulla propemodum intermiſſione Stolam geſtabant. Narrat de S. Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo, in ejus vita ms. Joannes Saresberienſis, Epiſcopus Carnotenſis, *Beatiſſimum illum martyrem Stolam, jugum Chriſti ſuave circa collum diebus, ac noctibus habuiſſe.* Hodie ſolus Romanus Pontifex, propter ejus ſingularem præſtantiam ſacra Stola decoratus incedit. Quamobrem in Urbe Roma ob Papæ reverentiam ſacri Oratores, Sacerdotes ſcilicet, quos Sæculares vocant, itemque Regulares, qui ſuperpelliciis utuntur, ſine Stola concionantur, quam alias in ſacris concionibus ſibi apponere tenerentur: imo ex præſcripto Sancti Caroli Borromæi, in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis, parte IV. *De ritu concionandi*, pagina CCCCLXXXI. Diaconus ſi quando ex facultate permiſſa concionatur, ſuperpellicio etiam uti debet, & Stola in tranſverſum ducta.

De

De Dalmatica, & Caſula.

CAPUT XI.

ALiud Diaconorum indumentum eſt Dalmatica, genus veſtimenti, ſic dictum, ait Iſidorus libro IX. *Originum* cap. XXII. quod primum in Dalmatia texta ſit. Succeſſit hæc veſtis, teſte credito Alcuino, in locum colobii, quod genus erat indumenti ſine manicis; non quod prorſus manicis careret, ſed quia vix ad cubitorum ima pertingeret. Cum ergo, inquit Alcuinus, nuditas brachiorum culparetur, a Beato Silveſtro Dalmaticarum uſus Diaconis primum Romanæ Eccleſiæ fuit aſſignatus, deinde vero ex indulto Romanorum Pontificum ad alias etiam Eccleſias extenſus. Imo licet olim inter Dalmaticam Diaconi, & tunicam Subdiaconi magnum eſſet diſcrimen, hodie nullum reperitur, niſi quod hujus manicæ ſtrictiores, & breviores ſunt; quod item diſcrimen ſæpe negligitur.

Dalmatica, & Tunicella utuntur Diaconus, & Subdiaconus in Miſſa: item in Proceſſionibus, ac benedictionibus, cum Sacerdoti miniſtrant. Diebus vero jejuniorum, pœnitentiæ, ac mœrori deſtinatis, ſecundum rituales regulas Miſſalis Romani, planetas plicatas ante pectus geſtant, ad diſcrimen Caſulæ Sacerdotalis, quas tamen exuunt lecturi Epiſtolam, vel Euangelium; manifeſte profitentes, inquit Rupertus Abbas Tuitienſis, lib. III. *De divinis officiis* cap. II. illam ſuam non eſſe veſtem, nec propter ſuum ordinem ſibi debitam, ſed commodatam ſe accipere a Sacerdote, cui miniſtrant. Præcipiunt autem eædem rituales regulæ (quod olim etiam ſervatum tradunt antiqui Scriptores) ut Diaconus iis diebus Euangelium cantaturus, vel ſuper ſiniſtrum humerum Caſulam plicet ſuper ſtolam, aut ponat in locum Caſulæ aliud genus ſtolæ latioris.

Porro Dalmatica, ut etiam mysteria designemus, præsefert Crucis formam; monetque, Auctore Alcuino, cap. *Quid significent vestimenta*, illum qui ea induitur crucifixum esse debere mundo, juxta Apostolum: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Hæc vestis, inquit Rabanus Maurus, libro I. *De institutione Clericorum*, cap. xx. in modum est Crucis facta, & Passionis Domini indicium est. Significat etiam Dalmatica, ait Ivo Carnotensis Episcopus, *De significatione indumentorum*, lætitiam, & curam proximorum; tribuitur autem Diacono, cui ex vi ordinationis suæ committitur cura dispensandi sanguinem Christi, & thesauros Ecclesiæ, ut patet in S. Levita Laurentio. Ob id forte concludit Innocentius Papa III. specialiter Diaconi utuntur Dalmaticis, quia præcipue electi erant ab Apostolis, ut mensis ex officio ministrarent.

De ritu deferendi Euangelium ad Altare, benedictionis petenda, ac procedendi ad lectionem Euangelii.

CAPUT XII.

MOs olim fuit ut sacer Euangeliorum Codex, teste Amalario, libro III. *De Ecclesiasticis officiis* cap. v. ad initium Missæ magna cum pompa ad Altare deferretur. Aliquando sacrificaturi solemniter ipsi Pontifices Euangelium a domo in Ecclesiam ferebant, sacris ornati vestibus, & multis luminibus, atque suffitibus circumsepti, ut liquet ex S. Clemente Episcopo Ancyrano, apud Surium, die vigesimatertia Januarii. In Ecclesia Rhemensi, referente Macro, verbo *Euangelium*, Subdiaconus in principio Missæ exhibet Euangeliorum librum

brum Archiepiſcopo celebranti, ut oſculetur, dicens: *Hæc eſt lex ſancta, Pater*. Et Archiepiſcopus reſpondet: *Credo, & confiteor*. Antiquitus item quum Diaconus eſſet Euangelium ſolemni ritu anuntiaturus, ad præſcriptum Ordinis Romani, oſculabatur pedes Pontificis; & accepta ab eo hac benedictione: *Dominus ſit in corde tuo, ac labiis tuis*, veniebat ante Altare, oſculatiſque Euangeliis, Codicem in manibus ſuis levabat. Hodie Euangeliorum librum defert Diaconus ad Altare, ibique genuflexus orationem dicit: *Munda cor meum*; ad ſignificandum verba Sancti Euangelii debere nos puro corde concipere, & impollutis proferre labiis; ait enim Propheta: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Accipiens poſtea librum ex Altari, petit a celebrante benedictionem: qui ritus generalis quidem eſt, & ubique receptus, licet quoad modum, & formam non unus ubique fuerit uſus. In liturgia S. Marci, Diaconus Euangelium recitaturus dicit: *Domine benedicito*. Sacerdos vero: *Dominus benedicat, & fortificet, & auditores nos faciat Sancti ſui Euangelii, qui eſt benedictus Dominus nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen*. In liturgia S. Joannis Chryſoſtomi. Diaconus ait: *Benedic præconem S. Apoſtoli, & Euangeliſtæ*. Sacerdos vero Cruce illum ſignans, reſpondet: *Deus per interceſſionem S. Glorioſi Apoſtoli, & Euangeliſtæ det tibi Euangelizanti verbum, ad virtute multa euangelizandum*. In Ordine Romano, Diacono benedictionem petenti Pontifex tacite dicit: *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis*. Varias ejuſmodi benedictionis formulas a Monachis ſervari ſolitas recenſet Edmundus Martene, opere *De antiquis Monachorum ritibus*, libro II. cap. IV. §. II.

Juxta rubricas Miſſalis Romani, Diaconus dicit:

Jube domne benedicere : ubi notandum eſt diſcrimen inter celebrantem, ejuſque miniſtrum; ille enim ad Deum univerſorum Dominum ſuas dirigens preces ait : *Jube Domine benedicere*; Diaconus vero, qui a Sacerdote, qui homo eſt, & I dempta litera, domnus dicitur, cum petit benedictionem, non *Domine*, ſed *Domne*, dicere debet; quemadmodum recte docent Caſtaldus, & Quartus; addentes titulum ipſum primo atque potiſſime competere Summo Pontifici, qui per antonomaſiam *Domnus* appellatur. Si quis autem rogaverit, cur Diaconus utatur potius his verbis : *Jube domne benedicere*, quam illis : *Domne benedicito* ? Reſpondebit S. Petrus Damiani in tractatu *De Dominus vobiſcum* cap. II. quod *lecturus magnæ humilitatis gratia, non a Sacerdote, ſed ab eo, cui Sacerdos juſſerit ſe poſtulat benedici, dicens* : Jube Domne benedicere. *Sacerdos autem, ut tantæ humilitatis vicem reddat, non ſubjecto cuiquam benedicendi delegat officium, non per ſemetipſum benedictionem dare præſumit, ſed potius a Deo, qui eſt ſuper omnia benedictus prærogetur, expoſcit*. Rurſus cur Diacono Euangelium cantaturo detur benedictio, non autem Subdiacono, qui Epiſtolam eſt lecturus, rationem diſcriminis deſignat Rupertus Abbas Tuitienſis libro I. *De divinis officiis* cap. XXXVI. quod *Deus legem, & Prophetas inviſibilis inviſibiliter miſit; Apoſtolos vero, & Euangeliſtas, quorum in hoc ſaltem enuntiandi Euangelii munere Diaconus perſonam gerit, viſibilis factus, & Sanctam Eccleſiam Sponſam videlicet ſuam oſculatus oſculo oris ſui, viſibiliter miſit, & docuit*. Tandem benedictionem petit Diaconus, quia nemo niſi miſſus officium prædicandi uſurpare debet. *Quomodo enim prædicabunt*, ait Apoſtolus, *niſi mittantur* ? Dicit autem Sacerdos : *Dominus ſit in corde tuo, ac labiis tuis*, quo intendat diligenter Diaconus, ait Amalarius libro III.

De

De Eccleſiaſticis officiis cap. XVIII. ut cor ejus cum dominicis verbis vadat, & non ſit infructuoſa oratio Sacerdotis; Dominum in mente teneat, quem ſuſcipit per benedictionem Sacerdotis; & ut non exhalent verba impoſita, nève introeant nociva, ſigno Crucis facto manu Sacerdotis ſuper caput ipſius, munitur.

Accepta benedictione procedit Diaconus juxta veterem ritum ad Ambonem, præcedente Cruce, thuribulo, ac cereorum luminibus, aliiſque, de quibus ſuo loco habebitur ſermo. Apud Græcos ſolemnior eſt hujuſmodi proceſſio, quæ introitus Sancti Euangelii appellatur. Sacerdos enim Euangelium tollens de Altari tradit illud Diacono; & ambo e ſacrario exeuntes, per portam ſeptentrionalem veniunt ad locum conſuetum, ubi Sacerdos dicit orationem ingreſſus; cujus ritus mentem aperit S. Germanus Archidiaconus Conſtantinopolitanus, in theoria rerum Eccleſiaſticarum, his verbis: *Introitus Euangelii adventum indicat filii Dei, & ingreſſum ejus in hunc mundum, ut ait Apoſtolus; cum induxerit nimirum Deus, & Pater Primogenitum, & Unigenitum ſuum in Orbem Terrarum ait, Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Hinc omnes genibus advoluti Euangelio per Eccleſiam delato reverentiam exhibent; ad quam excitandam καμπὰ ϛωὴ lectores decantant, *Venite adoremus, & procidamus Chriſto.* Accedit deinde Diaconus ad Epiſcopum, ſive ad Sacerdotem, eique porrigit librum oſculandum. Tum abſoluto quodam modulo levat, & oſtendit S. Euangelium, dicens: *Sapientia Recti.* Quorum verborum ſenſus ab Auctore Græco Nicolao Cabaſila egregie exponitur. Ait enim *In expoſitione liturgiæ* cap. XXI. ſapientiam illam, quam Sacerdos rogat ad digne auſcultandam divinam Euangelii lectionem, eſſe cogitationes myſterio convenientes, cum quibus oportet audire, & videre ea, quæ fiunt, & dicuntur eos qui fide

fide pleni ſunt, qui nihil habent humani: hæc eſt enim Chriſtianorum ſapientia. Paullo poſt alteram vocem explicans: Hæc quoque, inquit, acclamatio *Recti*, habet adhortationem. Quæ eſt autem adhortatio? Vult nos eſſe certamini intentos qui ad Deum, & divina myſteria accedimus, & non ſocorditer, ſed cum ſtudio, & diligentia, omnique reverentia in eis verſari, ſive videre, ſive dicere, ſive audire aliquid ex ſacris oportebit; & hoc primum ſignum oſtendere hujus ſtudii, & reverentiæ, corporis erectionem, ut non ſedentes, ſed recti hoc agamus. Talis eſt enim habitus, & figura ſupplicum, talis habitus ſervorum, qui ad nutum Dominorum, omnem mentem erectam habent, ut ſtatim ad miniſterium, poſtquam juſſum arripuerint recta currant. Nos autem ſumus Deo de maximis ſupplices, & omni ſervitutis genere ſervi. Et horum quidem verborum hæc eſt ratio. Hactenus Cabaſilas.

Sed proſequamur ordinem ſacri ritus, quem exliturgiis S. Marci, & S. Joannis Chryſoſtomi, ex Eucologio, aliiſque ritualibus Græcorum libris excerpſimus, ejuſque meminit in tractatu *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis* vir clariſſimus Claudius Eveillon, Epiſcopus Andegavenſis, capite *De Proceſſione ad Euangelium*. Poſtquam Sacerdos dicit: *Sapientia Recti*, Euangelium deponit in Altari, deinde cantato Triſagio, & aliis orationibus, ac benedictionibus completis, & ipſa demum lectione Apoſtolica, quam nos Epiſtolam dicimus; idem Diaconus poſtquam quinquies per intervalla orationum ante oſtium ſacrarii inclamavit: *Attenti ſimus*, incenſato Altari, & omni ſacrario, atque inſuper ipſo velo, quod obtenditur ſacris donis, accedens ad Sacerdotem ante Altare, ſuſcepto libro Euangelii, prono capite petit benedictionem; qua accepta egreſſus e ſacrario, præcedentibus lampadibus, & thure accedit ad Ambonem.

Sacer-

Sacerdos vero ante ſacrum Altare conſiſtens, converſo vultu ad occidentem ſolem, alta voce ait: *Sapientia, Recti audiamus S. Euangelium*. Cum Diaconus dixerit, *Lectio Sancti Euangelii*, Chorus reſpondet, *Gloria tibi Domine*: & rurſum ait Sacerdos, *Attendamus*. Lecto autem Euangelio, Diaconus revertitur ad fores ſacrarii, librumque reddit Sacerdoti, qui ei pacem precatur, dicens: *Pax tibi*.

In Miſſa Æthiopum, refert laudatus Claudius, quod ſimiliter ante recitationem Euangelii Diaconus circuit Eccleſiam clamando: *Surgite, audite Euangelium Sanctum, & bonam annuntiationem Domini noſtri, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Sacerdos autem accipiendo Euangelium verſus populum, illud ter incenſat, & facta ſolemni precatione ad benedictionem introitus in Eccleſiam, ipſe cantat Euangelium accenſis luminaribus, & alio omni apparatu ex more adhibito.

De uſu Thuris, Cereorum, Crucis, & Pulvinaris ad lectionem Euangelii.

CAPUT XIII.

SOlemne fuit Chriſtianæ Eccleſiæ ab Apoſtolorum ævo thus, & lumina in divinis officiis adhibere, nam præterquam quod eorum meminerint Canones Apoſtolici, ac antiquiſſimæ liturgiæ, veteres etiam Patres non ſemel illa commemorant; unde non mirum ſi Tridentina Synodus Seſſ. XXII. cap. v. inter cæremonias in ſacrificio ex Apoſtolica diſciplina, & traditione adhibendas, *Lumina* quoque, & *Thymiamata* recenſet. Verum hæretici non defuere præſertim poſtremis hiſce ſæculis, qui thuris uſum, & candelarum in ſacris irriderent, reſpuendumque contenderent. Qua tamen in re quam late, ac

ac turpiter errent, quiſque facile deprehendet. Negotium vero nullum faceſſunt, quæ in medium afferunt, ut pervetuſtos, ac venerabiles hujuſmodi ritus evertant. In primis contra thurificationem, Dei oraculum objiciunt, dicentis apud Iſaiam, cap. I. *Incenſum eſt abominatio mihi*; tum Arnobii auctoritatem lib. VII. *Adverſus gentes*, qui pluribus thuris uſum in re ſacra novum, & vanum docet; tum denique Athenagoræ effatum proferunt, in legatione pro Chriſtianis: *Opifex ille, & Pater univerſorum non ſanguine eget, non nidore, non floribus, & ſuffumentis flagrantibus, cum ipſe ſit odor longe ſuaviſſimus, cum nulla re indigeat, nihil extra ſe deſideret*. Sed hæc levia ſunt; non enim Deus apud Iſaiam abſolute thuris incenſum aſpernatur, ſed quum ab impiis indigne effertur; nam apud populum Dei antiquiſſimus eſt thuris uſus in ſacrificio divino, ut ex libro Exodi ſatis liquet cap. XXV. v. XXIX., & cap. XXX. v. XXXIV. & ſeq. Arnobius vero, & Athenagoras uſum thuris in honorem, cultumque Deorum improbant, quod illis nullo modo debetur; vel quum illud credimus ſine interno cultu veræ Religionis ſufficere; non autem quum vero Numini pura mente, pieque, ac religioſe adolemus. *Thus quidem incendimus*, ait Tertullianus de corona militis, cap. X. *ſed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud Idola*.

Adverſus cereorum uſum in Eccleſia, inter alia objiciunt nobis Lactantium ſic ajentem libro VI. Inſtitutionum divinarum cap. II. *Num igitur mentis ſuæ compos putandus eſt, qui Auctori, & datori luminis candelas, ac cereorum lumen offert pro munere?* Item S. Hieronymum, qui ſcribens adverſus Vigilantium, confitetur ingenue pro honore Martyrum cereos accendere pertinere ad imperitiam, & ſimplicitatem ſæcularium hominum, & Religioſarum fœminarum, quæ quidem zelum ha-

habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Sed hæc etiam leviſſimi ſunt momenti. Lactantius ſiquidem ſolos Ethnicos reprehendit, qui ea mente lumen Deo offerrent, quaſi in tenebris degeret, luceque indigeret. Et Hieronymus de iis loquitur, qui cereos accendebant, credentes inde Martyres illuſtrari. Cæterum eodem libro Sanctus Doctor plurimum commendat pium morem accendendi cereos in honorem Martyrum; & ut mox patebit, ad lectionem Euangelii, non quidem ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.

His opportune delibatis, propius nunc lectionem Euangelii attingamus. Præcipit in primis Ordo Romanus incenſum ſemper deferri ante illud, ſive ad Altare, ſive ad Ambonem procedatur. Idipſum de cereis præſcribunt omnes liturgici; qui ut ad Euangelii lectionem accenderentur, jam ante S. Hieronymi tempora uſus invaluerat; ita enim ipſe ſcribit contra Vigilantium ad lumina hæc cæcutientem, & dormitantem. *Per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Unde & Virgines illæ Euangelicæ ſemper habent accenſas lampadas ſuas; & ad Apoſtolos dicitur:* Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, *& de Joanne Baptiſta:* Ille erat lucerna ardens, & lucens; *ut ſub typo luminis corporalis, illa lux oſtendatur, de qua in Pſalterio:* Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis. Morem ipſum etiam Romæ ſervatum fuiſſe, patet ex Leone Papa III. qui teſte Anaſtaſio, *fecit lucernas fuſiles duas ex argento puriſſimo; & hoc conſtituit, ut Dominicorum dies, vel in ſanctis ſolemnitatibus, hinc inde, juxta lectorium conſiſterent, & ad legendum ſacras lectiones luminis ſplendore refulgerent.* Acolythorum autem officium eſſe ſcribit S. Iſidorus Hiſpa-

ſpalenſis Epiſcopus libro VII. *Etymologiarum* cap. XII. cereos deferre ante Diaconum, quando legitur Euangelium in Eccleſia, non ad effugandas tenebras, cum ſol in die rutilet, ſed ad demonſtrandum, quod de tenebris infidelitatis venimus ad lucem fidei; & ut ſit ſignum lætitiæ, quatenus ſub typo corporalis luminis lux illa in memoria habeatur, de qua dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Apud Græcos lumina accenſa ferentes *Deputati* vocantur. Unde Joannes Epiſcopus Citri *In reſponſis*, ſic ait: *Deputati vero mandyis induti antecedunt cum lampadibus Euangelium, quando lectionis cauſſa fertur ad ſuggeſtum; iidem munus idem obeunt in ingreſſu ad ſacram Mènſam, quando ſacra dona circumferuntur, & ad Protheſim referuntur*. In Miſſa ſolemni Summi Pontificis, præter quam Epiſtola, & Euangelium græce, & latine leguntur; Diacono etiam Latino, qui Cardinalis eſt, præcedunt ſeptem Acolythi cum ſeptem candelabris, & cereis accenſis, eidemque Euangelium legenti aſſiſtunt, & poſt ipſum Græco Diacono eandem ſacram lectionem græce recitanti.

Myſtici uſus cereorum ac thuris ad Euangelii lectionem fuſius explicantur a rerum liturgicarum Scriptoribus; pro quibus omnibus unus ſufficiat Innocentius III. Pontifex Maximus libro II. *De myſteriis Miſſæ* cap. IV. Diaconus præmittit Ceroferarios cum faculis, & incenſo, quia Prædicator debet ex ſe odorem bonæ opinionis emittere ſecundum illud Apoſtoli: Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. Vel per hoc quod Sacerdos præmittit duos Acolythos ante Diaconum, qui lecturus eſt Euangelium portantes cereos & incenſum, notatur quod Chriſtus præmittebat binos ante faciem ſuam in omnem Civitatem & locum, quo erat ipſe venturus, præferentes coruſcationes miraculorum, & odo-

odorem virtutum. Rurſus ideo librum Euangelicum præcedunt thuribulum & candelabrum, quia doctrinam Chriſti virtus & fama præibat, Euangeliſta (Luc. IV.) teſtante: *Regreſſus eſt Jeſus in virtute ſpiritus in Galilæam, & fama exiit in univerſam regionem de illo, & ipſe docebat in Synagogis eorum*. Hæc ille. Adolemus autem thus ad Euangelium, in reverentiam Chriſti ibi præſentis, ac nobiſcum loquentis, quem Deum, & ſummum Sacerdotem profitemur; & ad ſignificandum effectum gratiæ, quam ipſe variis Euangelii ſui auditoribus communicat. Quod vero miniſtris Altaris, ac circumſtantibus etiam laicis thuris ſuffitus præberi ſolent, non ad dignitatis prærogativam, ait Cardinalis Bona libro I. *Rerum liturgicarum* cap. XXV. num. IX., ut per abuſum irrepſit; ſed ad Religionem pertinet, ut nimirum excitet ad orationem, & effectum divinæ gratiæ repræſentet. Unde in Apocalypſi incenſa ſunt *Orationes ſanctorum*; & in Pſalmo canimus: *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*.

Crucem quoque præceſſiſſe ad Euangelii lectionem non ſine myſterio tradit Gulielmus Durandus, libro IV. *Rationalis divinorum officiorum* cap. XXIV. quem morem adhuc ſervant Fratres Ordinis Prædicatorum; retinentque Eccleſiæ nonnullæ in Regno Neapolitano. Hoc ritu uti etiam Æthiopes, patet ex Miſſa illa, quæ, ut teſtatur Demochares, *de obſerv. Miſſæ celeb.* cap. XIV. ex lingua Chaldæa ſive Æthiopica in Latinam converſa, & Romæ typis excuſa habetur; ibi namque Diaconus accipiens Crucem dicit: *Orate ut digni efficiamur audire Euangelium*. Prorſus tamen obſolevit ille ritus, ab Ordine Romano, aliiſque relatus, ut ſcilicet Diaconum Subdiaconus præcederet portans pulvinar, quod Euangelii libro ſupponeret; ad denotandum, Auctore Durando, *ſuave eſſe jugum Domini illud portare volentibus*.

Hodie neſcio qua de cauſſa factum eſt, ut loco pulvinarium lignea legilia in Altari ad ſuſtentationem ſacrorum Codicum adhibeantur: abuſus profecto a venerabili antiquitate alienus, a recentioribus Religioſis, pariter ac doctis Eccleſiarum Præfectis minime acceptus; atque iccirco ab omnibus eliminandus; quemadmodum illelonge abſurdior pulvinaria Miſſalium uſui addicta, ad profanum uſum adhibendi; quæ ne Epiſcopi quidem, nedum alterius cujuſquam genibus, cubitiſve ullo loco in Eccleſia ſupponerentur, S. Carolus in Concilio Mediolanenſi V. edixit, capite *De Eccleſiis earumque ſupellectile*.

Apud Romanos pulvinaria lectuli erant, qui diis ſterni ſolebant in Templis: Quare Tullius oratione II. in Catilinam. *Quamobrem Quirites quoniam ad omnia pulvinaria ſupplicatio decreta eſt, celebratote illos dies cum conjugibus, & liberis veſtris*. Plinius quoque in panegyrico ad Imperatorem Trajanum cap. VIII. *Itaque*, inquit, *non tuo in cubiculo, ſed in Templo, non ante genialem thorum, ante pulvinar Jovis optimi Maximi adoptio precata eſt*. Et eruditiſſimus Alexander ab Alexandro libro V. *Dierum genialium* cap. XXVII. pulvinaria apparatas lecticas vocat Divorum, in quibus Numina pro majeſtate juxta aras ſublimia extabant. Sed paulatim humana ambitio adeo excrevit, ut (quemadmodum notat Auctor obſervationum Eugenialogicarum) quod olim deorum proprium fuit, ad ſe tranſmitti vel juſſerit, vel permiſerit. Hinc holoſerica auro intexta pulvinaria luxus adinvenit, quibus illuſtriores Matronæ, & Principum virorum conjuges in Divorum Templis incumbunt, ut hoc etiam irreligioſæ levitatis argumento langueſcentem pietatem, ac imminutum Chriſtiani ſpiritus ſervorem in locis ſacris coram Deo, & hominibus oſtentarent.

De

De ritu indicendi ſilentium quum Euangelium legitur.

CAPUT XIV.

LAudatiſſimus apud Judæos mos viguit, ut Levitæ, quibus noſtros ſucceſſiſſe Diaconos, fere omnes ſentiunt, ante ſacram divinæ legis lectionem ſilentium juberent; quemadmodum perſpicuis verbis Eſdras demonſtrat, libro II. cap. VIII. cum ait: *Et aperuit Eſdras librum coram omni populo; ſuper univerſum quippe populum eminebat; & cum aperuiſſet eum, ſtetit omnis populus, & benedixit Eſdras Domino Deo magno; & reſpondit omnis populus Amen, Amen, elevans manus ſuas, & incurvati ſunt, & adoraverunt Deum proni in terram. Porro Joſue, & Bani, & Serebia, Jamin, Accub, Septhai, Odia, Maaſia, Celita, Azarias, Jozabed, Hanan, Phalaja levitæ ſilentium faciebant in populo ad audiendam legem.* Quod autem Levitæ in Synagoga, id in Chriſti Eccleſia Diaconi præſtiterunt; ipſos enim ante Euangelium, ſeu quamlibet aliam Sacræ Scripturæ recitationem ſilentium imperare conſueviſſe, non ſemel indicant liturgiæ vetuſtiſſimæ, ſæpius vero luculenta Sanctorum Patrum teſtimonia manifeſtant, quæ recenſentur a doctis viris Stephano Duranti, libro III. *De ritibus Eccleſiæ* cap. XVIII. Bernardino Ferrario, libro I. *De ritu Sacrarum Eccleſiæ veteris concionum* cap. XII. & aliis. Auctor Apoſtolicarum Conſtitutionum de re ipſa ſcribit, libro II. cap. LVII. *Diaconus populum ſpeculetur, ne quis murmure obſtrepet, dormitet, aut nutus faciat; oportet enim ſtare in Eccleſia ſapienter, & vigilanter auribus ad verbum Domini intentis.* Ejus ritus haud obſcure meminerunt eximii Eccleſiæ Doctores Ambroſius,

ſius,& Auguſtinus,quorum prior *præf.in Pſ.*ſcribit:*Quantum laboratur in Eccleſia,ut fiat ſilentium,cum lectiones leguntur*. Alter vero ſic loquitur, libro XXII.*De Civit. Dei* cap. VIII. *facto tandem ſilentio*, *Scripturarum ſunt lecta divina ſolemnia*. Sed apertiuś hanc conſuetudinem expreſſerunt Sancti Joannes Chryſoſtomus, & Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis. Ille multis quidem locis; at in ſecundam ad Theſſalonicenſes epiſtolam homilia III. perſpicue ita pronuntiat. *Non attendunt*, *non cogitant huc ad Deum ſe ingreſſos*, *Deum cum ipſis ſermocinari*; *quando enim qui lecturus eſt ſurgens dicit*: Hæc dicit Dominus: *Et Diaconus ſtans omnes indicto ſilentio compeſcit*. Iſidorus autem in hanc rem ſic loquitur libro I. *De Eccleſiaſticis officiis* cap. x. *Ideo Diaconus clara voce ſilentium admonet*, *ut ſive dum pſallitur*, *ſive dum lectio pronuntiatur*, *ab omnibus unitas conſervetur*, *& quod omnibus prædicatur*, *æqualiter ab omnibus audiatur*. Idem alibi. *Ipſi* (Diaconi) *clara voce in modum præconis admonent cunctos ſive in orando*, *ſive in flectendo genua*, *ſive in pſallendo*, *ſive in lectionibus audiendis*; *ipſi etiam*, *ut aures habeamus ad Dominum clamant*. Quid plura? Laudatus refert Ferrarius Eccleſiam Mediolanenſem, juxta ritum Ambroſianum morem hunc indicendi ante lectionem ſacram ſilentii ſemel acceptum conſtanter adhuc retinere: ſiquidem in Miſſis, quas Pontificales vocant, ante Euangelii recitationem ſilentium populo de ſuggeſtu alta voce ter in hanc formulam indicitur: *Partite fabulis*, *ſilentium habete*, *habete ſilentium*.

At non modo ad Euangelii lectionem ſed perpetuo in Eccleſia ſervandum ſilentium ſexcenties Sancti Patres, ac Sacri Canones inculcarunt. *Nihil*, inquit S. Chryſoſtomus, homil. XXVIII. ad populum, *Eccleſiæ tam congruum*, *quam ſilentium*, *& tranquillitas*; *theatris convenit tumultus*, *& balneis*, *& pompis*, *& ſo-*

foris. Iſidorus Peluſiota epiſtola XLV. *Templis*, ait, *omne ſilentium debetur*. S. Auguſtinus multus eſt in vetando verboſari, ut ipſe loquitur, in Eccleſia. *Nolite*, inquit ſermone de tempore CCLI. *invicem in Eccleſia verboſari, ſed quieti eſtote; ſunt enim plerique, & præcipue pleræque mulieres, quæ ita in Eccleſia garriunt, ita verboſantur, ut lectiones divinas nec ipſi audiant, nec alios audire permittant*. Et ſermone CXV. de tempore, *In Eccleſia ſtantes nolite verboſari, ſed lectiones divinas patienter audite. Qui enim in Eccleſia verboſari voluerit, & pro ſe, & pro aliis redditurus eſt rationem*. Frequens eſt in eodem argumento & Magnus Baſilius, qui inter cætera diſerte hæc ait in Pſalmum XXVIII. *Homines miſerabiles relictis ædibus ſuis ad Templum concurrunt, quaſi emolumentum quidquam inde laturi; cum tamen nec accommodent aures verbis Dei, nec peccati quopiam præoccupati mœrore afficiantur, nullo corripiuntur divino judicii metu, adeo ut ſibi arridentes, ſuaſque prenſantes dextras, domum orationis in locum vertant effuſiſſimæ loquacitatis*. Sed prætermiſſis brevitatis cauſſa aliorum Patrum oraculis, audiamus S. Ambroſium lib. III. de virgin. qui in loquaces ob rei indignitatem acerbe invectus merito exclamat: *An quidquam indignius quam oracula divina circumſtrepi ne audiantur, ne credantur, ne revelentur; circumſonari confuſis vocibus, ut impediatur oratio pro ſalute deprompta omnium; cum gentiles idolis ſuis reverentiam tacendo deferunt? Unde illud proditur, Alexandro ſacrificante Macedonum Rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepiſſe ignem brachio, atque aduſto corpore manſiſſe immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu: tanta in puero barbaro fuit diſciplina reverentiæ, ut naturam vinceret*. Refert deinde Sanctus Doctor aliud exemplum, ranarum ſcilicet obſtrepentium, quæ juſſu Sacerdotis ſubito conticuerunt;

runt; tandemque concludit: *Silent igitur paludes, homines non silebunt?*

Quæ cum ita se habeant; quis non videt quam pernicioſus ſit abuſus alter quidem pudendus quammaxime, gravique cum animarum detrimento conjunctus, abuſus inquam quorundam ſacrorum hominum, qui in ſacra confeſſionali ſede ante Deum, & divina myſteria, longa colloquia familiariter cum mulieribus inſtituunt, tanta libertate, atque licentia, quanta domeſtici parietes, ac profana loca cuilibet e populo vix tribuerent. Proh dolor! Liceat cum S. Gregorio Magno homilia XVII. in Euangelia, non ſine lacrymis queri: *Nullum puto ab aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit; quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus.* Ex veteri olim inſtituto quidam ex Diaconis Templa inambulabant, circumſpiciebantque ſimul, atque cavebant ne quis in domo Dei ſtrepitus fieret, neque quis nutus faceret, vel muſſitaret. Hodie, dolenter referimus quod aliquando vicem ſuorum temporum dolens ajebat S. Chryſoſtomus, *Nonnulli ſecurius quam in foro mulieres illic libidinis cauſſa proſequuntur, obſceniſque, & inhoneſtis verbis, & ſignis utuntur: Si quis, corrumpere matronam conatur, locum hunc maxime idoneum putat.* Eccleſiarum Præſides a Synodo Tridentina ſeſſione XXII. decreto *De obſervandis, & vitandis*, jubentur, vana, & profana colloquia, deambulationes, & ſtrepitus ab Eccleſiis arcere, ut domus Dei domus orationis videatur. Sed fruſtra. Ubique fere vincit Religionem ſcelus, pudorem audacia, auctoritatem indigna licentia. Dici nequit quantam repetitis legibus Romani Pontifices, ac Sacra Concilia diligentiam adhibuerint, ut Chriſtiani homines in domo Dei, præſertim divinorum officiorum tem-

tempore, debito cum ſilentio, ac religioſe verſarentur; uni Deo, & animarum ſaluti intenti; at vero aucto in dies malo, ita Deus violatione domus ſuæ videtur offenſus, ut noſtra hac tempeſtate, ſacra potius Templa alicubi recenti permiſerit terræmotu corruere, quam profana ædificia.

De ritibus a Diacono ſervandis quum Euangelium nuntiat, ac primum de ſalutatione, Dominus Vobiſcum.

CAPUT XV.

DIaconus in Ambone conſiſtens Populo Euangelium enuntiaturus, eum primo alta voce ſalutat iis verbis: *Dominus vobiſcum*: Quatenus, ait Auctor nomine Alcuini, de divinis officiis, cap. de celebratione Miſſæ, *corda illorum a mundanis cogitationibus Dominus emundet, & ad ſuſcipienda verba ſalutifera aperire dignetur*. Eſt autem hæc ſalutatio adeo vetuſta, ut eam a veteri Teſtamento in Chriſti Eccleſiam Apoſtolica traditione dimanaſſe ingenue fateatur Concilium Bracarenſe I. anno DLXIII. Can. III. *Placuit ut non aliter Epiſcopi, & aliter Presbyteri populum, ſed uno modo ſalutent dicentes*: Dominus ſit vobiſcum: *ſicut in libro Ruth legitur*; *& ut reſpondeatur a populo*: Et cum ſpiritu tuo; *ſicut, & ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens, & non ſicut Priſcilliana pravitas permutavit*. Pro *Oriens* legendum *Occidens*, jam ante nos alii adverterunt; quandoquidem in Eccleſia Orientali alius profecto erat, & nunc eſt ritus ſalutandi populum hac formula: *Pax omnibus*, vel, *Pax vobis*; ut conſtat ex antiquiſſimis liturgiis Sanctorum Jacobi, ac Baſilii, quibus addo Sanctum Joannem Chryſoſtomum, qui multis in locis, at

longe egregie in Epiſtolam Pauli ad Coloſſenſes, ad rem ita differit: *Cum ingreſſus fuerit is, qui præeſt Eccleſiæ ſtatim dicit*: Pax omnibus; *quando concionatur*; Pax omnibus: *quando benedicit*, Pax omnibus: *quando ſalutem optare jubet*, Pax omnibus: *quando ſacrificium abſolvitur*, Pax omnibus. Ità Chryſoſtomus. Quem etiam jam vita functum, cum corpus ejus a Proclo Patriarcha in throno collocatum eſſet, dixiſſe ad populum *Pax vobis*; idque Proclum, & adſtantes omnes audiviſſe, Eccleſiaſtica Nicephori prodit hiſtoria lib. XIV. cap. XLIII. Meminit quoque ejus formulæ in epiſtola ad Euſtachium S. Athanaſius, ubi quoſdam Epiſcopos ſugillat, qui cum initio ſacrificii, & ſermonis illud proferrent, *Pax vobis*; tragœdias tamen excitabant, & alios affligebant.

Porro in Eccleſia Latina hæc ſalutatio, *Dominus vobiſcum* eſt propria Sacerdotum. Diaconi vero tantum in Euangelii lectione, & in benedictione Cerei Paſchalis; quia ibi, inquit Durandus, libro IV. *Rationalis divinorum officiorum* cap. XIV., ex perſona Chriſti loquitur, & eundem reſuſcitatum repræſentat. Præſules autem prima vice dicere ſolent, *Pax vobis*, quam ideo Epiſcopalem ſalutationem S. Petrus Damiani appellat opuſculo, *De Dominus vobiſcum*. Atque huic diſtinctioni Sacerdotis ab Epiſcopo minime refragatur laudata Synodus Bracarenſis; nam ut recte animadverterunt Viri docti Garzias Loaiſa, & Ludovicus Bail in Notis ad hanc Synodum, Concilium argui: Priſcillianum contendentem non ſemel tantum, ut moris eſt, ſed ſemper ab Epiſcopis dicendum eſſe, *Pax vobis*. Cæterum etſi prima vice Epiſcopus ſalutat hac formula, *Pax vobis*; quoniam ut ait Innocentius Papa III. hæc fuit prima vox Chriſti ad Diſcipulos, poſtea tamen inſtar cæterorum Sacerdotum, utitur eadem ſalutatione, qua Presbyter: *Dominus vobiſcum*.

Illud

Illud quoque recenſere incongruum prorſus non erit, fuiſſe aliquando in Eccleſia diſciplinam, nequis celebrare præſumeret, niſi præter Clericum miniſtrantem, unus ſaltem præſens adeſſet, ut vere poſſet celebrans pluribus dicere: *Dominus vobiſcum*: & *Orate fratres*. Extat Canon apud Gratianum, *de conſecrat.* diſt. I. his verbis: *Hoc quoque ſtatutum eſt, ut nullus Presbyterorum Miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique reſpondentibus, ipſe tertius habeatur; quia cum pluraliter ab eo dicitur*: Dominus vobiſcum; *& illud in ſecretis*, Orate pro me; *apertiſſime convenit, ut ipſius reſpondeatur ſalutationi*. Sed hunc ſcrupulum, quo tunc temporis omnes fere angebantur, omnino ſuſtulit Sanctus Petrus Damiani, integro, egregioque opuſculo, cui titulum iccirco præfixit, *Dominus vobiſcum*; ubi inter alia docet alienum a ratione videri non debere, quod quis ſolus dicat: Dominus vobiſcum; nam his verbis ſalutatur Eccleſia, quæ eſt una in multis, & tota in ſingulis.

De ritu exprimendi Crucis ſignaculum, quando Euangelium nuntiatur.

CAPUT XVI.

RItus eſt etiam antiquiſſimus ut Diaconus ſtatim poſt ſalutationem, pronuntians: *Sequentia Sancti Evangelii* ſignet primo librum Crucis ſignaculo, quaſi dicat, ait Innocentius III. *Hic liber eſt Crucifixi*; deinde vero ſeipſum in fronte, in ore, in pectore. *In fronte*, videlicet, juxta S. Auguſtinum, *in ſede ipſius verecundiæ*, ut eliminata omni verecundia, cum Apoſtolo non erubeſcat de Euangelio Chriſti; in ore, quia ut idem ait Apoſtolus, *prædicamus Jeſum Chriſtum, & hunc*

crucifixum; in pectore tandem, ne aliqua ſuggeſtio diaboli eum impediat, quin puro corde Euangelium Dei annuntiare valeat. Hæc Innocentius. Alii multa in rem ipſam differunt; e quibus Hugo Cardinalis: *Legens*, inquit, *Euangelium ſignum facit in pectore, quaſi dicat, Corde credo ad juſtitiam: In ore, quaſi dicat, Quod credo, confiteor ad ſalutem: Et in fronte, quaſi dicat: Non erubeſco Euangelium.*

De ritibus a Clero, & populo in Euangelii lectione ſervandis, ac primum de verbis Et cum ſpiritu tuo.

CAPUT XVII.

SAlutante Diacono, congruit, ait Amalarius Fortunatus libro III. *De officiis Eccleſiaſticis* cap. XVIII., ut omnis populus ad eum converſus ſit; & quod ante non fecerat, cum Epiſtola legeretur, inquit Innocentius III. libro II. *De myſteriis Miſſæ* cap. XLVI. devotus, & attentus reſpondeat: *Et cum ſpiritu tuo*. Quæ verba accepta videntur ex ſecunda Pauli ad Timotheum Epiſtola cap. IV.: *Dominus Jeſus Chriſtus eum ſpiritu tuo*; eorumque meminere antiquæ liturgiæ, & priſci Patres Iſidorus Peluſiota, & Sanctus Joannes Chryſoſtomus, præfatæ reſponſionis ſenſum mirifice explicantes. *Illud autem*, inquit Iſidorus, lib. I. epiſtola CXXII. *quod a plebe reſpondetur*, Et cum ſpiritu tuo, *hanc habet ſententiam: pacem quidem nobis tribuiſti Domine, hoc eſt mutuam inter nos concordiam: pacem autem nobis da; hoc eſt ejuſmodi tecum conjunctionem, quæ nullo modo divelli poſſit, ut cum ſpiritu tuo pacati, quem nobis in creationis initio indidiſti, a tua charitate diſtrahi nequeamus*. Sanctus

ctus vero Chryſoſtomus ſic loquitur homilia XVIII. in ſecundam Corinthiorum Epiſtolam *In tremendis myſteriis ut Sacerdos pro plebe, ita plebs pro Sacerdote votum facit; hæc enim verba*, Et cum ſpiritu tuo, *nihil aliud, quam hoc ſignificant*. Et homilia XXXVI. in primam Corinthiorum: *Verum hæc ſigna tantum ſunt, & monumenta rerum, ubi agitur nos ſæpius loqui*, Cum ſpiritu tuo *plebs reſpondet*. Ecce, inquit doctiſſimus Durantus, lib. II. *De ritibus* cap. XV., nedum a Clero, ſed, & plebe reſponderi, *Cum ſpiritu tuo*. Quod demum in Occidente a Concilio Aurelianenſi conſtitutum fuerit, ut non ſolum Clerici ſed omnis populus conſona voce, *Et cum ſpiritu tuo* reſponderet, diſerte prodit Micrologus *De officiis cap. II.*

Nec eſt quod hujuſmodi diſciplinam miremur; a primis enim Eccleſiæ ſæculis promiſcue olim una cum Clericis cantaſſe, & populum, ſimulque Sacerdoti ſolemniter celebranti reſpondere conſueviſſe teſtatur S. Cyprianus in libro, *De Oratione* hæc ſcribens: *Sacerdos parat fratrum mentes dicendo*: Surſum corda; & *dum reſpondet Plebs*, habemus ad Dominum, *admonentur nihil aliud ſe quam Dominum cogitare debere*. Similia ante Cyprianum prodidit S. Juſtinus, apologia ſecunda dicens *Præpoſitum preces fundere, & populum fauſte acclamare Amen*. De promiſcuo vero Populi, & Cleri cantu, non tanquam re nova ſua ætate inſtituta, ſed qui una cum Eccleſia coaleſcere cœperit, luculentiſſimum eſt illud S. Joannis Chryſoſtomi teſtimonium homilia XXXVI. in primam Corinthiorum: *Conveniebant olim omnes, & pſallebant communiter; hoc nunc quoque facimus*. In Eccleſia Latina idipſum viguiſſe non obſcure innuit S. Ambroſius lib. III. *In Hexameron* cap. V. dum ait: *Pſalmorum cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum conſonus undarum fragor reſultat*.

De

De verbis Gloria tibi Domine, *ac de Crucis signo a populo expresso ad lectionem Euangelii.*

CAPUT XVIII.

RItus alter olim a clero, & populo ad Euangelii lectionem servari solitus is erat. Audito *Euangelii* nomine, nempe *Sequentia Sancti Euangelii*: vertentes se ad Altare cum reverentia respondebant: *Gloria tibi Domine*: glorificantes Dominum, ait Innocentius III. libro III. *De mysteriis Missæ* cap. XLVI. quod miserit eis verbum salutis; vel quasi dicerent, inquit Durandus: Gloria tua, quæ nobis in Euangelio prædicatur, nobiscum sine fine permaneat, & semper crescat; atque hæc dicendo, signo Crucis in fronte, in ore, & in pectore se similiter contra diabolum muniunt, ne eos impediat in audiendo. In fronte, quia ibi est locus pudoris, & verecundiæ: unde per hoc quod Crucem fronti imprimunt, ostendunt se non erubescere credere Crucifixum, cujus liber legitur; & eum habere Deum, & Dominum: Per hoc quod in ore signant, significant Crucem Domini audacter prædicare: Per hoc quod in pectore, ostendunt se libenter compati pro nomine Christi; qua etiam ratione, quando Euangelium legitur, cum utroque pollice ante pectus signum Crucis figurant. Rursus nos in ore signamus, ad designandum, quod de verbis Euangelii debet esse locutio nostra. In pectore vero, ad designandum quod verba Euangelii debent nos percutere in pectore, & in mente. Hæc Durandus. Ordo tamen Romanus qui multis sæculis illum præcessit, duplicis Crucis, in fronte, & pectore; simplicis vero tantum, in fronte scilicet, meminit Hildebertus Cenomanensis, *De mysteriis Missæ*, hoc carmine.

Neve

Neve ſuperveniens zizania ſeminet hoſtis,
Frontibus imprimitur myſtica forma Crucis.

Alia ejus ritus myſteria velle hic enarrare, eſſet intemperanter abuti otio. Unum addo quod ante notavit magnus Annalium parens Baronius, Apoſtolica traditione fluxiſſe in Eccleſiam, ut fideles ad excolendam Crucis Chriſti memoriam tam in ſacris, quam in cæteris rebus ſignum Crucis adhiberent. Tertullianus non ut de re recenter inventa, ſed cujus nullum antiquitatis inveniatur exordium, luculentiſſimum ſuggerit teſtimonium *De corona militis*, cap. III. *Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, & cubilia, ad ſedilia quacumque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus.* Id ipſum indicat S. Cyrillus Hieroſolymitanus *catechef.* cap. XIII. aliique Patres. Nec ſolum Crucis ſignaculo in omnibus actionibus ſe ſe Chriſtifideles munire, ſed & materialem ipſius figuram in locis decentibus pingere vel inſculpere conſueverunt. Quod tamen ne fieret in terra, ſub graviſſimis pœnis Imperatores, Patres, Concilia, Summique Pontifices vetuere. De Tiberio II. Imperatore narrat hiſtoria, quum delere juſſiſſet tres Cruces in terra poſitas, theſaurum inveniſſe. Hodie in noſtris Templis non ſine abuſu paſſim videmus cum ſacrorum hominum inſignibus Sacratiſsimam Crucis effigiem pavimento inſculptam, quam pedibus inviti calcamus. Utinam hic abuſus tollatur; multo magis alius, quo ut mejentes arceant, in domorum angulis Crucem pingunt.

Præter memoratos ritus accedunt alii in reverentiæ argumentum ad Euangelii lectionem adhiberi ſoliti. Ritus ſcilicet ponendi baculos, nudandi enſes, ſtandi, & caput aperiendi. De omnibus ſigillatim.

De

De ritu ponendi baculos, dum Euangelium legeretur.

CAPUT XIX.

QUantum ad baculorum depoſitionem pertinet, operæ pretium me facturum puto, ſi una cum ejuſmodi depoſitionis myſteriis cauſſas etiam explicavero, cur fideles in Eccleſiis baculos introduxerint. Prima eſſe poteſt, quam innuit Honorius Auguſtodunenſis, *De antiquo ritu miſſarum* apud Hitorpium cap. XVIII. voluiſſe nimirum Chriſtifideles in eſu novi Agni, videlicet Sacratiſſimæ Euchariſtiæ imitari Hebræos, qui in eſu antiqui Agni Paſchalis, juxta Domini præceptum Exodi XII. baculos manu gerebant. Alteram cauſſam doctiſſimus Joannes Ciampinus *Veterum monimentorum* capite XV. ex eo conjicit, quod cum baculus Crucis ſit ſymbolum, ut docet S. Auguſtinus *ſermone* CVII. *de tempore*, ideo fideles baculo in memoriam noſtræ redemptionis utebantur; cui interpretationi favet uſus Maronitarum Montis Libani, qui teſte Marchety *in vita pii viri Franciſci Gallaupii ſolitarii ejuſdem montis gallice deſcripta* cap. XV. ut coram Deo Crucifixi videantur, ſperanteſque ſe in ſuis precibus eſſe exaudiendos, ſtatim ac intrant Eccleſiam, baculis Crucis figuram exprimentibus innituntur, quos tamen, dum Euangelium legitur, & dum Sacra Hoſtia elevatur, protinus deponunt.

Potiſſima vero illa meo judicio cauſſa videtur, quam etiam nunquam ſatis laudatus Ciampinus commemorat, nimirum: quum chriſtiani in Eccleſiis olim orantes ſtarent, ut fuſius infra dicetur, ſacræque functiones in longum plurium horarum ſpatium, quemadmodum innuit S. Gregorius lib. VIII. epiſt. XXXV. protraherentur (mos enim erat Sacrum Myſterium, homiliarum recitatione,

tione, atque ex instituto Cælestini Papæ, divina psalmodia celebrare) ideo fideles, præsertim senes, ac debiles ita fatigabantur, ut baculis, se sustentare cogerentur: quod non obscure mihi videtur indicasse Episcopus Trevirensis Amalarius Fortunatus, quum ait lib. III. cap. XVIII. *Usque ad istud officium baculis sustentabamur.* Item expositio Missæ ex vetusto Codice apud Hitorpium, his verbis: *Non est baculus necessarius, idest humanum auxilium, dum ipsum Christum præsto habentes, ejus vocem audimus; cum autem humano utimur auxilio, ante, vel post Euangelium baculos in manibus tenemus: accedente igitur ipso Christo, idest Euangelio, baculos dimittimus, quia humano auxilio non egemus.* Præterea ut nostræ huic opinioni plus roboris afferatur, refert Edmundus Martene *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis officiis celebrandis* cap. III. n. XIII. fragmentum vitæ manuscriptæ S. Victurii Cenomanensis Episcopi, *cui Martinus dedit baculum, seu sustentaculum, super quod solent Sacerdotes fusis orationibus sustentari.* Quare non inepte videmur opinari Christifideles usos olim ad levamentum fuisse baculis, ne divinorum officiorum prolixitate lassarentur.

Cur autem eo levamine, quod baculi fulcimentum afferebat, pii Christifideles libenter carere voluerint, dum Euangelium audirent in Ecclesia, multæ congruentes judicio nostro fuere causæ. Primo, quia Dei filium in Euangelio loquentem audientes, ipsam esse virtutem suam profitebantur. II. Quia æternis intenti, propriæ infirmitatis obliviscebantur. III. Quia propter Dominum omnia incommoda liberalissime perferebant. Denique, quia ubi de divina suscipienda institutione agebatur ad animæ salutem comparandam, quascumque corporis molestias alacriter contemnebant. Amalario nihilominus longe alia mens est: debuisse siquidem Christifideles ad Euangelii lectionem ponere baculos scribit, tum

ut a Judæis dissentirent, qui caput Christi arundine percutiebant; tum etiam ut tanquam servi ante Dominum stare humiliter viderentur. Secundum vero Hildebertum Cenomanensem, Archiepiscopum Turonense m *carmine de mysteriis Missæ*, ut denotarent christianæ esse virtutis acceptas injurias condonare.

Parcere, cum baculum projicis, instrueris.

Quæ ex designatis hactenus rationibus sit potior, doctus, ac prudens judicet lector.

Pertinet ad rem præsentem illud etiam admonere, quod licet olim Laici passim, ac Clerici potissimum baculis in divinis officiis uterentur; multis tamen ab hinc sæculis baculorum usus est intermissus, qui tamen hodie veluti quædam dignitatis insignia in nonnullis Ecclesiis a Cantoribus, iisque quos Præcentores vocant usurpantur. Ita testantur plurium Ecclesiarum consuetudines, in quibus (ut notat Ciampinus veterum monumentorum cap. xv.) Cantor qui Dignitas post Decanatum appellatur, in solemnioribus Ecclesiæ muneribus baculo utitur, sive incedat, sive sacris ministret: vigetque mos iste non modo in Ecclesiis Gallicanis, in quibus Cantores, Dignitates videlicet, Præcentoresque, ii nempe Ministri, qui pluviali induti, per chorum, dum divina recitantur æquo gressu discurrunt, baculos manibus gestant; verum etiam in Ecclesiis nostræ Italiæ, ac potissimum utriusque Siciliæ. Porro in Ecclesia Metropolitica Messanensi Decanus, & Cantor præcipuis diebus utuntur baculis aureo pomo superne insignitis. Atque ut de cæteris Regni Neapolitani Ecclesiis sileam, in Rheginensi ejusmodi ritus diligentissime custoditur, quem quum circa medium elapsum sæculum, annum scilicet MDCLXII. Archiepiscopus ejus inclytæ Ecclesiæ abolere conaretur; Cantor qui ab immemorabili prærogativa ferendi baculum potiebatur, ita Romæ jus suum totis viribus propugnavit, ut Sacrorum

rum Rituum Congregatio iterum, atque iterum, ne Archiepiſcopus audiretur amplius, decreverit.

Siquis autem roget cur Epiſcopus in latina Eccleſia, quo tempore Euangelium in ſolemni Miſſa a Diacono recitatur, juxta Epiſcoporum Cæremonialis regulam, *baculum inter ambas manus retinet*, quum alias cæteri deponere teneantur? Ratio eſt, ni fallor, baculorum diſcrimen; illi enim, quibus alii ſuſtentantur, non ſunt niſi humanum fulcimentum, quo variis de cauſſis ſupra allatis, Chriſtifideles Dei filium in Euangelio loquentem audientes, libenter carere debent: Epiſcopi vero baculus eſt inſigne ipſius auctoritatis, ſolicitudinis, atque correctionis; *ut ejus indicio*, ait Iſidorus de Eccleſiaſticis officiis lib. II. cap. I. *ſubditam plebem vel regat, vel corrigat*. Hinc a Patribus VIII. Synodi conclamatum eſt in Photium: *Tollite baculum de manu ejus; ſignum eſt enim dignitatis paſtoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus eſt, non paſtor*. Si vero quis iterum urgeat, cautum eſſe ſacris Canonibus: *ut nullus Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire*. Can. *Nullus*, de conſecratione, diſtinct. I. Pro ſolutione dicendum puto, in eo textu non agi de baculo paſtorali, ſed de baculo communi, cum quo licet aliquando ob infirmitatem permiſſum fuerit in choro horas canonicas recitare, ut patet ex Concilio Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio, cap. cxxxi. Miſſæ tamen ſacrificium cum ipſo peragere, omnino interdictum eſt; ut recte docet Vir in Sacra Theologia apprime doctus Gabriel de Henao tomo II. de Sacrificio Miſſæ, diſputat. xxvii. ſect. III.

Neque officit quod Græci Epiſcopi, dum a Diacono legitur Euangelium, abſque baculo illud audiant; mirum enim videri non debet ejus, vel alterius ritus diſcrimen inter Eccleſiam Orientalem, & Occidentalem.

Nam, ut recte admonet Fulbertus Carnotensis Episcopus epistola II. ad Finardum: *Plura sunt in Ecclesiasticis officiis, in quibus Orientales Ecclesiæ, & nostræ communi observatione sibi respondent. Sunt vero alia, in quibus alias ab aliis cultu dispari, & varia observatione audivimus dissonare. Nec enim nos offendit observantiæ diversitas, ubi fidei non scinditur unitas.* Sane cum in Concilio Florentino Græci Latinorum in fidei Dogmatis sententiæ adhæsissent, nil obfuit varietas rituum, quin pristina Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ unio redintegraretur. Una fides (inquit eruditissimus Sebastianus Pauli dissertatione *De ritu Ecclesiæ Neritinæ* pag. CLXXV.) fuit utriusque gentis, mens una, caput unum in terris Pontifex: licet Græci in fermentatis, in azymis Latini Sacerdotes consecrarent; jejunia statis quibusdam diebus illi observarent, cum his nullum erat piaculum carnibus vesci, & e converso: sub utraque specie illorum populi, horum sub una tantum communicarent; ac perplura Græcis permitterentur, quæ Latinis prohibebantur. Neque enim aliud sentire in ritibus Ecclesiarum scindit, sed diversa Dogmata ea sunt, ut mox diximus, quæ Ecclesiam separant, & commune Ecclesiasticæ Societatis vinculum, concordesque fidelium animos dividunt. *Multa* ajebat Firmilianus ad Cyprianum, *pro locorum, & nominum diversitate variantur*; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace, & unitate discessum est.

De ritu nudandi enses ad lectionem S. Euangelii.

CAPUT XX.

VErum non solum baculos, sed enses quoque, uti nunc fieri solet, quum ad Tribunal pœnitentiæ, vel

vel ad Sacram mensam accedunt, accincti olim ad Euangelii lectionem deponebant; in signum quod juxta doctrinam Euangelicam parati sunt fideles non armis, sed patientia se defendere, ut inquit Nicolaus Plove, qui claruit anno MCCCCXXXIV. Contra qui equestris erant Ordinis, quique votum dimicandi pro Euangelii defensione, ac christianæ Religionis nuncupaverant, dum illud cantaretur ensem stringebant: qui mos apud Polonos inolevit, teste Guagnino in Vit. Reg. Polon. sub Miecislao I. illorum Principe, qui expurgato ab Idolis Regno, ad evidentius argumentum Christianitatis, instituit ut inter officium Missæ, dum Euangelium legeretur, singuli virorum medios gladios e vaginis depromerent, quo testarentur se propter Euangelium ad mortem usque certare paratos esse. Hodie hujusmodi ritus, quod sciam, ubique fere locorum obsolevit. Prodit tamen Macrus, magnum Magistrum Equitum Hierosolymitanorum ad Euangelium Missæ Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, Dei Genitricis, gladium, & pugionem tenere denudatos; additque rem scitu dignam, in quadam nimirum collegiata Ecclesia Castri cujusdam Territorii Forolivienſis, Diaconum die Epiphaniæ canere Euangelium capite galea tecto, manuque stringente evaginatum ensem, ad indicium meri, & mixti Ecclesiæ Imperii. De Carolo item IV. Imperatore narrat Albertus Argentoratensis Basileæ in nocte Nativitatis Domini, post susceptum Eucharistiæ Sacramentum, in Missa alta voce legisse Euangelium, *Exiit edictum a Cæsare Augusto*, stringentem manu nudatum gladium.

Ut ritus ipse clarius illustretur, placet hic ad verbum describere quæ de Carolo V. Imperatore scripsit Pontificiæ Capellæ Sacrarum cæremoniarum Magister, auctorque coævus, & oculatus testis. Anno Christi MDXXIX. die Natali Domini inter Missarum solemnia Carolus V. Im-

Imperator depoſito indumento quotidiano Imperatorio, aſſumptaque veſte de raſo cremeſino, uſque ad talos fere a ſuis camerariis porrecta, & per duos Cardinales ſuperpelliceo deſuper impoſito enſe accinctus, pileum armigero ante Cæſarem ferente, quod cum ſit inſigne ducale, non debebat Imperator portare. Ultimo pluviali albo indutus a parte anteriori aperto, prout a Prælatis defertur, ac Imperatores utuntur, medius inter duos Cardinales Diaconum, & Epiſcopum, factaque altari, & Papæ (is erat Clemens VII.) reverentia, evaginavit enſem, cæremoniarum Magiſtro adjuvante, terque illum ante Pontificem vibravit, & inde terſum ſuper brachio, in vaginam eodem adjuvante reponit, venitque uſque ad legile præparatum. Papa, *Pater noſter*, & ſucceſſive abſolutione cantata, Cæſar factis reverentiis Altari, & Papæ, ſubmiſſa voce dixit: *Jube Domne benedicere.* Pontifex voce reſumpta benedixit. Cæſar legit Euangelium tantum, videlicet: *Exiit edictum a Cæſare Auguſto.*

De ritu ſtandi quo tempore Euangelium nuntiatur; ac de Pallio, & Mitra Epiſcopi ad ejuſdem lectionem depoſitis.

CAPUT XXI.

INitio naſcentis Eccleſiæ id moris fuit, ut Sacram Euangelii lectionem Clerici perinde ac Laici non ſedentes, ſed ſtantes audirent, eique ſummo ſilentio, ac religioſo ſtudio venerationem exhiberent. Teſtatur id quidem perſpicue in primis pervetuſtus Auctor Apoſtolicarum conſtitutionum, lib. II. cap. LXI. his verbis: *Cum Euangelium legitur, omnes Presbyteri, & Diaconi, ac Laici aſſurgant cum magno ſilentio: ſcriptum eſt enim:*

Tace,

Tace, & audi Iſrael, & rurſum: Tu vero hic ſta, & audies. Inſequente tempore, quum in nonnullis Eccleſiis Sacerdotes quidam ſacrorum rituum, ac cæremoniarum violatores, ex pravo abuſu, quem conſuetudinem appellabant, ad Euangelii lectionem ſedere non erubeſcerent, Summus Pontifex S. Anaſtaſius I. ſaluberrimo decreto ad omnes Burgundiæ, & Germaniæ Epiſcopos eorum audaciam, atque temeritatem ita compeſcuit: *Apoſtolica auctoritate mandamus, dum Sacra Evangelia in Eccleſia recitantur, Sacerdotes, & cæteri omnes præſentes, non ſedentes, ſed venerabiliter curvi in conſpectu Sancti Euangelii ſtantes, Dominica verba intente audiant, & fideliter adorent.* Idem Anaſtaſii conſtitutum laudant Anaſtaſius Bibliothecarius in ejus vita, Micrologus de Eccleſiaſticis obſervationibus cap. IX. recenſetque Gratianus in ſuo decreto, can. 21. diſtinct. II. quamvis non me lateat Marianum Scotum in chronico illud tribuiſſe Syricio Pontifici Maximo, nullo fultum antiquo teſte, aut valido momento. Porro de S. Anaſtaſio Papa ita ſcribit liber Pontificalis. *Hic conſtituit, ut quotieſcumque Euangelia Sancta recitantur, Sacerdotes non ſedentes, ſed curvi ſtarent.* Huic decreto Cardinalis Baronius ad annum CCCCII. putat occaſionem dediſſe contentionem, quæ his temporibus Romæ Presbyteros inter & Diaconos oborta erat: hi enim adminiſtrantes res Eccleſiæ, ſupercilio elati Presbyteros ſpernebant; Presbyteri autem in eoſdem inſurrexere, atque ex conſuetudinis Eccleſiæ Romanæ præſcripto, ipſis ſedentibus eos ſtare debere contendebant. Sed eo uſque contentio progreſſa eſt, ut etiam cum ſtantes Diaconi coram populo legerent Euangelium, Presbyteri tamen aſſurgere non dignarentur ad majorem Diaconorum humiliationem: quod ut enorme factum Anaſtaſius Pontifex Maximus emendavit.

Theo-

Theophilus quoque Indus, referente Nicephoro Calliſto, libro IX. *Hiſtoriæ* capite XVIII. quum fuiſſet ab Imperatore miſſus in Orientem ad conſtituendam, & propagandam Religionem, & reperiſſet alicubi ſedere populum, quum Euangelium proponeretur, ſapienter correxit, & ad communem Eccleſiæ pietatem revocavit. Id ipſum de Theophilo narrat Philoſtorgius lib. III. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* ſect. V. Eam reverentiam citatus paullo ante Micrologus memorat non Euangelicæ dumtaxat lectioni fuiſſe delatam apud Græcos, verum etiam Apoſtolicæ. Jure proinde, meritoque Sozomenus lib. VII. *Hiſtor.* cap. XIX. abuſum damnat Eccleſiæ Alexandrinæ, in qua Epiſcopus præter communem morem non aſſurgebat, dum Euangelium legeretur: *Novum*, inquit, *& illud apud eoſdem Alexandrinos eſt, quod Epiſcopus, dum recitatur Euangelium, non aſſurgat: quod apud alios nuſquam fieri, equidem neque comperi, neque audivi.*

Certe apud Græcos, qui majori, quam cæteri honore proſequebantur Euangelicam lectionem, non ſolum aſſurgebat Epiſcopus, ſed etiam Omophorion deponebat; quam cæremoniam in memoriam ovis amiſſæ, de qua in Euangelio ſermo eſt, a Græcis fieri conſueviſſe teſtatur Iſidorus Peluſiota lib. I. epiſt. CXXXVI. ſic inquiens: *Cum verus Paſtor per adorandorum Euangeliorum aſſertionem accedit, tum demum Epiſcopus aſſurgit, atque imitationis habitum* (ideſt pallium) *deponit, hinc nimirum Dominum ipſum paſtoralis artis ducem, & herum adeſſe ſignificans.* Hunc antiquiſsimum ejuſdem Orientalis Eccleſiæ ritum deſcribit Simeon Theſſalonicenſis Epiſcopus in tractatu De Myſtagogia, ſive de Miſſa, his verbis. *Dum Euangelium legitur Epiſcopus Omophorion deponit, ſervitutem, ac ſubjectionem ſuam, erga Dominum demonſtrans. Quoniam cum ille per Euangelium loqui*

loqui cognoscitur, & tanquam coram adest, ipse tunc monimentum incarnationis ejus gestare non audet, sed ab humeris ablatum Diacono tradit, qui illud dextra complicatum retinet, ipsi Episcopo adstans, & sacra dona præcedens.

Est autem *Omophorion* juxta ejusdem Auctoris sententiam in libro *De Templo*, genus indumenti, quod ex lana confectum in orbem humeros ante, & retro convestit. Hoc genus indumenti sine dubitatione a Verbo carnem ex Virgine propter nos susceptam, humanæque naturæ assumptionem declarat. Ideo enim ex lana quoque texitur, quoniam erraticam ovem, hoc est naturam nostram signat, & quoniam ipse quoque Agnus pro nobis occisus vocatus est. Ipsa item verba, quæ humeris eo tegendis profert, sententiæ huic suffragantur; ait enim: *Sublata in humeros Christe natura, quæ erraverat, assumptus Deo, & Patri illam obtulisti.* Ita Thessalonicensis. Hoc idipsum jamjam adnotaverat præcitatus Isidorus lib. I. epistola CXXXVI. his verbis „ Id amiculum, quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lana, non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designat; Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur; atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius, ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.

Pallii origo in utraque Ecclesia, Orientis, & Occidentis antiquissima est. Rupertus Abbas Tuitiensis *De divinis officiis* lib. I. cap. XXVII. ab Apostolis ipsis illam repetit. Eusebius Cæsariensis a Lino Summo Pontifice; sic enim ait in sermone *De Epiphania*, apud Christophorum Marcellum, sacrarum cæremoniarum lib. I. sectione x. cap. v. *Nihil antiquius veste illa Sacerdotali Præsulis*

noſtri, quæ illi veſti de veteri Teſtamento ſucceſſit byſſo auroque contextæ, qua in ſignum pleniſſimæ poteſtatis primus Linus amictus eſt, cui & typum dedit, & nomen, ut a veteribus accepimus Scriptoribus, quam appellavit & pallium. Conſentit S. Maximus in homilia *De veſte Sacerdotali* apud eundem Marcellum his verbis. *In lege gratiæ antiquum etiam eſt illud Ephod, ideſt Pallium, quod noſtri Patriarchæ arbitrantur a Lino poſt Petrum II. Romano Pontifice inſtitutum, & in ſingulare poteſtatis privilegium noſtris Deo plenis Præſulibus datum.* Alii Pallii auctorem faciunt S. Marcum Romanum Pontificem, S. Silveſtri ſucceſſorem, qui, teſte Anaſtaſio in ejus vita, Epiſcopo Oſtienſi, a quo Summi Pontifices conſecrantur, Pallii uſum primus conceſſit.

Quidquid ſit de ejus origine. *Pallium* eſt faſcia lanea candida, tribus circiter digitis lata, & in modum circuli contexta, quæ ſuper humeros imponitur; ex quo circulo alia ſimilis faſcia ante pectus, alia deorſum ex oppoſito pendet, duæ ſuper humeros dimittuntur: quæ faſciæ purpureis Crucibus ſunt inſignitæ. Ipſum autem Pallium tribus aciculis, ſive ſpinulis aureis alligatur: fit ex lana agnorum candidorum ſine macula, qui ut refert Chriſtophorus Marcellus Archiepiſcopus Corcyrenſis loco citato, die S. Agnetis, in ejuſdem Eccleſia via Nomentana ſingulis annis offerri, & benedici ſolent, ac Subdiaconis Apoſtolicis conſignari, & in aliquo Monaſterio Sanctimonialium nutriri, donec veniat tempus ipſos tondendi. Ex eorumdem lana contexuntur Pallia, quæ in Baſilicam Vaticanam delata, ſuper corpora Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ponuntur in vigilia Natalis ipſorum, ibique tota nocte dimittuntur, ac die ſequenti deputatis cuſtodienda traduntur.

Pallio ſemper utitur Romanus Pontifex, cujus eſt per omnes Eccleſias ſummum jus, ac plenaria poteſtas; reli-

reliqui eo uti non poſſunt, niſi intra Eccleſiam certis, quibuſdam, & deſignatis diebus, quum Miſſarum ſolemnia celebrant; idque ex antiqua conſuetudine, quam indicat S.Gregorius Magnus, Pontifex Maximus, Joanni Epiſcopo Ravennatenſi ſic ſcribens lib.II. epiſt. LIV. *Illud frater chariſſime tibi non putavimus ignotum, quod pæne de nullo Metropolitano, in quibuslibet Mundi partibus ſit auditum, extra Miſſarum tempus, uſum tibi Pallii vendicaſſe.* Neque, (ut ſcite admonet Cardinalis Joannes Bona lib. I. *Rerum liturgicarum* cap. XXIV.) omnibus Archiepiſcopis Pallii honor tribuebatur, ſed iis ſolummodo, qui inter ipſos præcipui erant. Nam in Gallia ſoli Arelatenſi mittebatur; de qua re extant epiſtolæ Vigilii ad Auxanium, Pelagii I. ad Sapaudum, & Gregorii Magni ad Childebertum Regem Francorum. In Hiſpania ſoli Hiſpalenſi. In Dalmatia Salonitano. In Italia Ravennati. In Sicilia Syracuſano. In Sardinia Calaritano, ut ex epiſtolis S. Gregorii liquet: ſive hoc fieret intuitu Eccleſiarum, ſeu Civitatum præ cæteris eminentium; ſive ob Vicariatum Apoſtolicæ Sedis illis Archiepiſcopis tributum; quo titulo conſtat Pallio item a Summis Pontificibus inſignitos fuiſſe Archiepiſcopos Corinthi, Theſſalonicæ, & primæ Juſtinianæ. Nonnullos quoque Epiſcopos interdum hoc honore decorarunt Summi Pontifices, vel intuitu meritorum, vel alia juſta de cauſſa; quia nimirum ejus conceſſio omnino pendet ab ipſorum auctoritate; a quibus etiam conſtituta fuit forma juramenti, quod Archiepiſcopi antequam illud accipiant, præſtare tenentur.

Pallium Græci Omophorion, & Epomadon vocant, ut Theodorus Balſamon docet *in reſponſis ad quæſt. Marci Alexandrini*. Differentia tamen ingens eſt, ait Eminentiſſimus Bona inter Pallium Latinorum, & Græcorum Omophorion, ſive humerale, ut Latini Interpre-

tes vertunt; nam Latinum jam ſupra deſcripſimus. Græcorum vero eſt longa faſcia, ejuſdem cum Latino, aut paullo majoris latitudinis, collum primitus involvens, tum a collo per medium pectus infra genua deſcendens, Crucibus itidem intexta. Olim uſque ad pedes protendebatur; nam Zonarus *in vita Conſtantini Copronymi*, ait Anaſtaſium inſiſtentem veſtigiis Germani Patriarchæ, Omophorion ejus calcaſſe, ut ſic eum moneret, ne properaret. Aliud etiam diſcrimen inter utrumque reperitur, quod Latinum ſolis Archiepiſcopis tribuitur; Græcum omnibus Epiſcopis commune eſt, qui illud deponunt, quum Euangelium legendum eſt; & reaſſumunt paullo ante communionem, ut docet Simeon Theſſalonicenſis libro *De Templo, & Miſſa*. Porro abuſus Pallii inter Græcos dupliciter notatur. Primo quod ſolent ex ſerico illud contexere, cum ex lana fieri deberet, ut græcuſmet Auctor Simeon Theſſalonicenſis fatetur, dum ait: *Ideo enim ex lana quoque texitur, quoniam erraticam ovem, hoc eſt naturam noſtram ſignat*. Secundo, quod omnes, ut dixi, Epiſcopi illud deferant: qui mos antiquæ eorum Eccleſiæ omnino adverſatur; Illorum enim Patriarcha, quotieſcumque ceſſabat ſchiſma, tunc ſemper Pallium a Romano Pontifice poſcebat. Quocirca Luitprandus *in ſua legatione* inquit: *Vidimus Conſtantinopolitanum Epiſcopum pallio non uti, niſi Sancti Patris noſtri permiſſu*. Subdit Auctor abuſum cœpiſſe, quo tempore Theophilactus Eunuchus, & Conſtantinopolitanus Patriarcha violenter a Pontifice Romano pro ſe, & ſucceſſoribus ferendi Pallium, ſine Sedis Apoſtolicæ licentia, indultum extorſere. *Ex quo*, ait, *turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non ſolum Patriarchæ, ſed etiam Epiſcopi totius Græciæ Palliis utantur*. Indultum fuit Joannis XI. quem ut narrat Baronius ad annum DCCCCXXXIV. pro hac conceſſione Alberi-

cus

cus Romæ Tyrannus violenter coegit, dum in carcere illum incluſum arctaverat. Atque hæc obiter de Pallio dicta ſufficiant, de quo plura ac erudita ſcribunt inter alios doctiſſimus Emmanuel Gonzalez, & Franciſcus Florens ad titulum Decretalium, *De uſu, & auctoritate Pallii*.

Illud quoque Cæremoniali Epiſcoporum libro præſcriptum eſt, ut, quum Diaconus dicit, *Initium*, vel *Sequentia Sancti Euangelii*, in magnæ reverentiæ indicium, Mitram deponant. Non enim decet, ut fuſe infra probabimus, operto capite Dei Filium in Euangelio loquentem audire. Interim, quod ſpectat ad Mitræ uſum, duæ ſunt Eruditorum ſententiæ. Quidam exiſtimant recentem adinventionem eſſe, quæ circa annum Chriſti milleſimum incœperit. Alii e diverſo uſum Mitræ putant ab Apoſtolis fluxiſſe, idque variis rationibus, & teſtimoniis ſuadent, ajentes contrariam ſententiam levibus dumtaxat niti argutiis, atque omni ſolido fundamento deſtitui. Propugnat acriter hanc Mitræ antiquitatem vir doctiſſimus Andreas Sauſſayus lib. I. *Panopliæ Epiſcopalis*. Joannes Cardinalis Bona libro I. *Rerum liturgicarum* cap. XXIV. putat utramque poſſe conciliari ſententiam, ſi dixerimus Mitram quidem, qualis eſt hodie nuperum ornatum eſſe, qui ante milleſimum Chriſti annum vix fuerit in Eccleſia, negari tamen non poſſe, quin a temporibus Apoſtolorum, aliquod fuerit capitis ornamentum, quo peculiariter, ſi non omnes, aliqui ſaltem Epiſcopi uſi ſint; at cujuſnam formæ fuerit antiquum capitis operimentum ab Epiſcopis uſu habitum, ante decimum ſæculum, ignotum nobis aſſerit eruditiſſimus Bocquillot *in ſua hiſtorica liturgia*, lib. I. cap. VII. Sed ut verum fatear, uſum Mitræ non ſolum in Orientali, verum, & in Occidentali Eccleſia, longe ante annum milleſimum obtinuiſſe certiſſimum eſt; tum

tum ex antiqua effigie S. Petri ante annos mille erecta ad portam Eccleſiæ Corbejenſis Monaſterii; tum ex tabellis, & imaginibus Summorum Pontificum, quas ex antiquis Romanæ Urbis monumentis, æri inciſas repræſentant Bollandiani in propileo menſis Maji, ubi poſt S. Silveſtrum, maxima illorum pars cum Mitra oblonga, & rotunda, ut in lapidea S. Petri Corbejenſis effigie, cernitur, tum denique ex Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi carmine, qui floruit anno, (ut docet Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis) DCCCXXXV. Sic enim ille de Pontificis ornamentis canit lib. v. carmine III.

Illius ergo caput reſplendens Mitra tegebat.

An etiam fœminis ſtandum, quando Euangelium pronuntiatur? Ac de iis qui genuflexi, vel ſedentes ipſum auſcultant.

CAPUT XXII.

QUærendum modo eſt an etiam fœminæ ad ſacram Euangelii lectionem aſſurgere deberent? Profecto ſi veterem diſciplinam ſpectemus, maribus juxta ac fœminis hanc aſſurgendi conſuetudinem fuiſſe præſertim in Italia, non obſcure ſuadet exemplum comitiſſæ Mathildis, quæ ut legitur in vita S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, vehementi obſervandi ritus ardore, virium gracilitate poſt morbum laborans, ſolemnibus Miſſarum aſſiſtens, enixa dum legebatur Euangelium recta ſiſtere, deliquium perpeſſa, procubuit. Quæ conſuetudo audiendi Euangelium ſtando a fœminis ſervata, mirifice etiam a cœleſti oraculo comprobata eſt, ex vita ms. S. Willelmi Abbatis Monaſterii Eskilenſis in Da-

Dania, jam ante annos fere ſexcentos ab Eskilenſi Monacho compoſita, ubi de quadam muliere narratur, quod auſcultans contracta Euangelii lectionem, audierit vocem ſic increpantem: *Mulier ſurge, non decet Chriſtianos ad Euangelium ſedere, ſed cum reverentia ſtare, & auſcultare quod legitur.* Cæterum debere fœminas, quo tempore Euangelium in miſſa recitatur aſſurgere, vel ſaltem non ſedere, ſapienter expreſſit, providaque ſanctione conſtituit magnus ille Eccleſiaſticæ diſciplinæ collapſæ reſtitutor S. Carolus Borromeus, qui in Inſubria toti præluxit Orbi. Sic enim ait in Concilio Mediolanenſi IV. *Miſſæ ita fideles interſint, ut in omni ejus parte genibus flexis ſint, niſi cum Euangelium pronuntiatur; quo tempore ſtent omnes; ac ne mulieribus etiam tum ſedere liceat.*

Neque, ut ingenue fatear, illorum arridet ritus a Doctore Seraphico S. Bonaventura, aliiſque merito improbatus, qui nimiam probitatem præſeferentes, genuflexi Euangelii lectionem auſcultant; & quod æque videtur reprehendendum, pios interea libellos legunt, vel Beatæ Dei Genitricis Roſarium recitant. *Male faciunt* (inquit S. Doctor in expoſitione Miſſæ cap. II.) *qui eo tempore genua flectunt, vel in oratione procumbunt.* Porro non ſine myſterio Majores noſtri, ut recti ſiſteremus conſtituere, ut ſcilicet tanquam ſervi ante Dominum promptos nos, & paratos oſtendamus ad exequenda mandata Dei, quæ in Euangelio promulgantur: *Dum ſancta* (inquit S. Joannes Chryſoſtomus, in illud Attendite ne eleemoſynam veſtram &c. tom. VI. edit. Antuerp.) *leguntur Euangelia, non temere, neque perfunctorie auſcultamus, ſed ſtantes, & attenti magno cum timore mandata excipientes, non animo concidentes, non corporibus ſedentes, non proximi narrationibus operam dantes ea prætermittere audemus, non dives, non pauper;*

non

non ſervus, non liber; non viri, non fœminæ; non principes, non ſubditi; quin etiam ille ipſe, qui regio diademate redimitus eſt, cum primum leguntur Euangelia, ſtat ſummo cum timore, ſummoque ſtudio, ac ne diademate quidem redimitum eſſe caput ſuum permittit, ſed Deum in Euangeliis loquentem inflexa cervice veneratur. Ita S. Chryſoſtomus. Quare non mirum ſi Euſebius Monachus cum ſemel, ut Theodoretus refert *In hiſtoria SS. PP.* cap. IV. ab auditione lectionis Euangelicæ, aſpectu quorundam agricolarum, qui in ſubjecto campo terram excolebant, diſtraheretur; ita ſeipſum punivit, ut per quadraginta annos, & eo amplius quibus poſtea vixit, nec agrum aſpiceret, nec in cœlum, & aſtra oculos attolleret, ſed ſemper injecto ad collum ferreo circulo cernuus incederet. Mirum certe videri debet hodie tot Chriſtianos inveniri, qui dum Euangelium in Eccleſia legitur, dum Chriſtus ſcilicet nobiſcum loquitur, ipſi oculos ſuos in puellas conjiciunt, illas nutu, & ſignis affantur; eodemque inſidentes ſcamno, verbis etiam amatoriis, tanta eſt noſtrorum temporum iniquitas, culpam onerant.

Quoniam vero res magni momenti eſt de qua agimus, nec ſegnes ſtudium adhibemus, ut qua decet veneratione, & cura ſaluberrima Jeſu Chriſti præcepta, ac monita in Euangelio audiamus, quum multæ, eædemque graviſſimæ rationes ſint; quamobrem a ſtantibus lectionem Euangelicam Sancti Patres, atque Doctores Eccleſiæ audiendam ſuadent: placet hic eas ſummatim recenſere, quo magis magiſque enarrati ritus ſanctitas pateat, & propagetur. Stamus itaque dum legitur Euangelium. I. Quia Deum in illo loquentem audimus, ſervi nimirum Dominum, creatura Creatorem. II. Ut Diſcipuli audientes, docente atque præſente Magiſtro, cujus typum Euangelium exhibet. III. Ad Chriſtianæ do-

doctrinæ venerationem patefaciendam, & reverentiam. Tanto enim nobilior, atque præſtantior eſt doctrina, quanto Magiſter eſt excellentior. Nihil autem Dei Filio nobilius, nihil tanto Doctore præſtantius. IV. Ad oſtendendum, quod re ipſa prompti, & expediti ſumus ad illius obſequium, ſequelam, & obſervantiam. V. Ut eo indicio palam facianus nos animos habere erectos ad divina, atque cæleſtia documenta, quæ nobis per Euangelium promulgantur. VI. Quod parati ſumus pro euangelica doctrina defendenda tuendaque, uſque ad ſanguinis effuſionem certare. VII. Poſtremo ad denotandum, quod viribus totis contendimus ad ea, quæ per Euangelium promittuntur, bona æterna, atque perpetua.

Quamvis autem turpe ſit ad Euangelii lectionem non aſſurgere; longe turpius eſt ſedere dum illa ſalutifera verba proferuntur ex Euangelio S. Joannis: *Et Verbum Caro factum eſt*; vetus enim eſt atque laudabilis in Eccleſia cæremonia, miraculis etiam comprobata, ut tunc Chriſtiani homines omnes genuflecterent. Ferunt Eccleſiaſtici Scriptores quendam Monachum, in choro genuflectere negligentem, dum *Verbum Caro factum eſt* in Miſſa legeretur, a dæmone poſt alapæ percuſſionem, ſic fuiſſe increpatum: *Flecte miſer, & inſenſate genua; quia ſi ſicut dicitur: Verbum caro factum eſt; diceretur, Verbum Dæmon factum eſt, nos a genuflexione numquam ceſſaremus.* Eo ſiquidem capite ſublimium, atque inenarrabilium myſteriorum feraciſſimo, veluti per anacephalæoſim, immenſa Dei omnipotentis charitas in humanum genus manifeſtatur, qui ut illud e diaboli laqueis, & æterna morte eriperet: divinæque gratiæ, qua per peccatum exciderat, reſtitueret, & Cælo donaret, Filium ſuum Unigenitum, Hominem fieri tribuit: mortemque ipſe amariſſimam ſubire ultro libenſque voluit in ara Crucis pro nobis Sacerdos factus, & ſacrificium.

De ſtandi ritu ad tria Euangelii Cantica, ac toto divini officii tempore juxta veterem Eccleſiæ morem.

CAPUT XXIII.

HOc etiam ad Euangelii honorem referendum videtur, quod omnes in choro detecto capite ſtare ſolent, dum tria illa ex Euangelio Cantica recitantur: *Benedictus* ad Laudes. *Magnificat* ad Veſperas. Et ad Completorium, *Nunc dimittis*. Verum ſi primam Eccleſiæ ætatem ſtudioſe intueamur, non ſolum Clerici, ſed ipſi quoque Laici toto divinorum officiorum tempore ſtabant, pie feliciterque Chriſto Domino obſequentes, qui in Euangelio dicit Marci II. *Cum ſtabitis ad orandum, &c.* Unde æque erat Tertulliani querimonia adverſus quoſdam delicatulos ſui temporis, quos in libro *De oratione*, cap. XII. ita inſectabatur: *Siquidem irreverens eſt aſſidere ſub conſpectu, contraque conſpectum ejus, quem maxime reverearis, quanto magis ſub conſpectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis adſtante, factum iſtud irreligioſiſſimum eſt?* Alludit nimirum ad locum Lucæ cap. I. qui loquens de Zacharia Patre S. Joannis Baptiſtæ ſic ait: *Apparuit illi Angelus ſtans a dextris Altaris incenſi*. Ad quem locum S. Ambroſius: *Non dubites*, inquit, *aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, quando Chriſtus immolatur*. Eodem argumenti genere utitur S. Petrus Damiani ſcribens Archiepiſcopo Biſuntino, & reprehendens Clericos ſedentes tempore divini officii: *Qua præſumptionis audacia* (verba ſunt Cardinalis Sanctiſſimi) *ſedere præſumimus? Dicit Daniel*: Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. *Ecce dum innumerabilium Angelorum alii Deo miniſtrare,*

re, alii dicuntur assistere, nullus eorum hic reperitur in subsellio residere: Cui ergo virtutes Angelicæ trementes assistunt, terreni, & corruptibiles homines adstare despiciunt? Paullo post addit ex Apocalypsi cap. VII. „Omnes Angeli stabant in circuitu Throni; & Seraphim stabant, quos vidit Isaias, Sanctus, Sanctus, Sanctus alternis ingeminantes. *Ecce ubi Seraphim sedere non audent, sedet homo luteus, & tanquam pannus menstruatæ luridus, & immundus? Ubi virtutes Cælorum sibi sedilia non usurpant, illic homo tanquam communi, ac domestico perfruitur otio, qui se pulverem esse, & cinerem non ignorat?*

Silere hic loci opportunitas minime patitur rationem aliam Tertulliani, qua persuadere nititur non nisi stando orandum esse ab homine Christiano: *Ne scilicet* inquit, in libro *De oratione*, cap. XII. *sedendo exprobremus Deo, quod nos oratio fatigaverit*. Quamobrem de Palæstinæ, Syriæque Monachis scribit Nicephorus ad standum a Deo robur accepisse. *Horum*, inquit, *opus est frequentes genuum inclinationes, & graves rursus stationes, desiderio solo corpora eorum sustinente, & voluntariam imbecillitatem recreante. Cum enim egregium virtutis opus peragendum, & preces ad Deum fundendæ sunt, tum robur novum, & corpus mirifice vividum cernas, etiamsi senio id jam confectum, & exoletum admodum sit*. Morem sui temporis non sine specioſa ratione, quam nos tamen paullo ante non omnino reticuimus, describit Amalarius Fortunatus lib. IV. *De officiis* cap. III. *Quando cantamus Psalmos, solemus stare, ut ex statu corporis demonstremus effectum nostræ mentis, hoc est paratos nos esse ad opera bona*. Non itaque mirum, si Aquisgranensis Concilii Patres Can. CXXXI. vix debilibus baculos concesserunt, ut illis inter psallendum inniterentur, cæteris vero omnino denegarunt: *Nec cum baculis*,

inquiunt, *in choro, exceptis debilibus, ſed religioſiſſime illis ſtandum, & pſallendum eſt. Sunt etenim quidam Clericorum, qui in ſæcularibus negotiis, & diſceptationibus pœne totum infatigabiliter deducunt diem, & mox ut Eccleſiam ad divinum officium peragendum intraverint, ita fatigati videntur, ut nec orationi vacare, nec ad pſallendum ſtare quéant.* Multo minus mirari debemus, ſi S. Petrus Damiani adverſus ſedentes tempore divini officii Clericos, & Laicos zelum, & ſtilum tantopere exacuerit, ut præcipuum adverſus hujuſmodi abuſum opuſculum ſcripſerit, quod Biſuntino Archiepiſcopo, cujus in Eccleſia illum deprehenderat, nuncupavit; præfixitque titulum: *Contra ſedentes tempore divini officii.*

In hac opella poſtquam ordinem, & diſciplinam ejuſdem Eccleſiæ commendavit; ipſumque præterea Archiepiſcopum, quod adhuc in vivis agens ſepulcrum ſibi parare curaſſet, ſic tandem de re noſtra cum illo loquitur: *Unum præterea torporis, ac deſidiæ ſignum in Eccleſia tua vidi, quod, & tunc prout expeditionis dictabat hora, corripui, & nunc apicibus tradere non ſuperfluum duco. Plerique ſiquidem ibi Clericorum reſident, dum vel canonica horarum celebrantur officia, vel etiam ipſa Miſſarum offeruntur terribilia Sacramenta. Cujus corporis ignaviam per Galliarum partes nonnullis ineſſe etiam Monachis deprehendi: quod profecto pravæ conſuetudinis vitium, & correctione dignum, & de ſtudio militantis Eccleſiæ in his, qui incolumes ſunt conſtat penitus eradendum.* Poſtquam autem variis Sacrarum Scripturarum teſtimoniis, & nervoſis rationibus comprobavit Clericos divinis laudibus celebrandis occupatos ſtare debere; ſic adverſus Laicos homines ſcribit: *Nunc autem ſufficit mihi Sanctitati veſtræ ſuggerere, ut hoc ignobilis negligentiæ vitium in tua prorſus Eccleſia corrigat, deinde per cæterarum palmites, tanquam falcem ſalutiferæ cor-*

correctionis extendat : districte quippe prohibendum est non modo Clericis, sed & Laicis utriusque sexus, ut nisi, sicut mos est, inter nocturni lectiones officii, alias dum divinis hymnis insistitur, nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat. Plerosque nempe vidimus, non modo sacri, sed & secularis Ordinis viros, qui sic inter quælibet Ecclesiasticæ synaxis officia status sui viribus sunt contenti, ut nec podio, nec adjacenti prorsus ulli materiæ dignentur inniti. Qui nimirum quo laboriosius in conspectu supernæ majestatis se conspicientis assistunt; & suaviorem dulcedinem intimæ quietis acquirunt; quantoque difficilius sui corporis gravedinem tolerant, tanto copiosius eos ad Deum meritum levat. Ac tandem post multa sic concludit : *Tu autem dilectissime, qui in Occiduis partibus inter Sacerdotes insignis es, ac celebris famæ, ubique in quantum potes, & hoc ignominiosæ sessionis opprobrium destruas, & cætera quæ villicatui Sacerdotalis officii competunt, non segniter implere contende.*

Ex tota hac satis prolixa Sancti Petri Damiani oratione duo colligo. Primum in Italia Clericos omnes, & Laicos divinis officiis stantes interfuisse; alioquin sedendi consuetudinem tanquam Gallis propriam non redarguisset. Alterum apud nonnullos etiam Monachos pravam sedendi consuetudinem irrepsisse, quam vir Sanctissimus emendatam optabat. Erat enim Damianus ipse Sacrorum Rituum suo sæculo siquis alius peritissimus; legatione pro Apostolica Sede functus in Galliis, & alibi; itemque Monachus Benedictinæ addictus Regulæ ex Ordine S. Crucis Fontis Avellanæ : qui cum aliquot in Italia sæculis viguisset, demum ob collapsam monasticam disciplinam, a S. Pio V. Pontifice Maximo deletus est. Non hic tamen mens ea mihi est, ut velim item hanc sanctissimam in Ecclesia disciplinam revocare, qua Clerici perinde ac Laici, non ad Euangelii dumtaxat lectio-

ctionem, verum etiam toto divinorum officiorum tempore recti consistant; sed ut viventium ignaviam, improbamque licentiam pio majorum fervore, ac Religione refellam. Quamquam ita omnino & nunc, quemadmodum illi olim exequebantur, ab ætatis nostræ Christifidelibus fieri debere quampluribus antiquorum Scriptorum testimoniis, gravibusque rationum momentis ostendit vir Ecclesiasticarum rerum peritissimus Antonius Caracciolus Clericus Regularis *In synopsi veterum Religiosorum rituum, sive Notis ad Constitutiones Clericorum Regularium*. Quandoquidem vero tantum obtinere non licet; id ego saltim exopto, ut quemadmodum Clerici Regulares, ac alii complures Religiosi Ordinis Viri totis divinis officiis, stantes assistant, cæteri saltem id agerent, quo tempore, divinissimæ Eucharistiæ Sacramento publicæ venerationi expositio, sacros in choro recitant Psalmos.

De ritu aperiendi caput ad lectionem Euangelii.

CAPUT XXIV.

SEcundum inveteratam, atque hactenus religiose servatam Ecclesiæ disciplinam, si paucos Sacrorum Rituum violatores excipias, apud omnes semper persuasum fuit decere quammaxime ut sacrosanctum Jesu Christi Euangelium nonnisi aperto capite audiretur. Hunc ritum nos in præsentia cogimur paullo fusius pertractare, non quod res adeo manifesta, & nota omnibus longiori orationis ambitu indigeat, sed quia sacri quidam homines perfricta fronte ita agendum esse denegarunt; neque contenti sanctissimam ipsi cæremoniam floccipendere, alios

alios etiam, quis crederet, ad contemnendum præcepto etiam impoſito compulerunt. Liceat mihi S. Hieronymi uti verbis, & expoſtulari: *Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ, ubi torrens fluvius Demoſthenis? Nunc profecto muti eſſetis ambo, & veſtra lingua torpeſceret. Inventa eſt res quam nulla eloquentia explicare queat; repertum eſt facinus, quod nec mimus fingere, nec ſcurra ludere, nec Atellanus poſſit effari.* At quam male illi turpi facto de Religione merentur, turpique errore errant, illuſtribus Sanctorum Patrum teſtimoniis fiet clarius; qui tantam adeoque excellentiſſimam de Euangelio opinionem habuerunt, ut illud Jeſu Chriſti Corpori exæquare non dubitaverint. Adeo ut vel inde conjicere quis poſſit, quam decens, juſtum, ac neceſſarium ſit, dum diviniſſimam Jeſu Chriſti doctrinam ex Euangelio audimus, quæcumque capitis operimenta removere, ad debitæ reverentiæ, ac venerationis indicium.

Mirabile S. Ignatii Epiſcopi Antiocheni, ac invictiſſimi Chriſti Martyris videtur oraculum, Epiſtola ad Philadelphios: *Ad Euangelium tamquam ad Corpus Jeſu Chriſti confugio.* Non minoris eſt ponderis Etherei, & Beati ſententia ſic ajentium lib. VII. De Incarnatione: *Corpus Chriſti quod manducatur, non ſolum panis, & vinum, qui ſuper Altare offertur, ſed etiam ipſum Euangelium Corpus Chriſti eſt; & cum Euangelium legimus, & intelligimus, filii in circuitu menſæ in una conlatione ſedemus, & panem cæleſtem manducamus.* Origenes vero, & Auguſtinus toti ſunt in aſſerendo non minorem præſtari debere ab auditoribus Euangelio reverentiam, quam præſtari ſoleat auguſtiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento: *Noſtis*, inquit Origenes, homilia XIII. in Exodum, *qui divinis myſteriis intereſſe conſueviſtis, quomodo cum ſuſcipitis Corpus Domini, cum omni cautela, & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris*

neris aliquid dilabatur ; reos enim vos esse creditis , si quid inde per negligentiam decidat : quod si circa corpus ejus conservandum tanta utimini cautela , & merito utimini , quomodo putatis minoris esse piaculi , Verbum Dei neglexisse , quam Corpus ejus ? Ita Origenes, cujus vestigiis fortasse insistens S. Augustinus, scriptum reliquit Homilia XXVI. lib. I. Homiliarum : *Rogo vos fratres , vel sorores dicite mihi , quid vobis plus esse videtur , Verbum Dei , an Corpus Christi ? Si verum vultis respondere , hoc utique dicere debetis , quod non sit minus Verbum Dei , quam Corpus Christi .* Et post pauca . *Non minus reus erit qui Verbum Dei negligenter audierit , quam ille qui Corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit .* Adde totius Ecclesiæ consensum, quæ sacro Euangelii codici æque ac diviniſſimæ Eucharistiæ thus , & lumina a primis usque temporibus adhibere consuevit . Cum itaque par Euangelio , ac Eucharistiæ reverentia statuatur , non inepte inferimus pari quoque Euangelium, ac Eucharistiam capitis detectione honorari debere .

Idipsum graviſſimo etiam testimonio S. Augustini comprobatur docentis Christum in Euangelio adesse , ac nobiscum in Euangelio sermocinari ; sic enim ait Homilia XXXIV. ex I. *Semper ante te habes quem sequaris , Dominus exemplum in terra posuit , cum Euangelium tibi reliquit : in Euangelio tecum est ; non enim mentitus est dicens : Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi .* Et tractatu XXX. in Joann. cap. I. *Nos itaque sic audiamus Euangelium , quasi præsentem Dominum .* Neque minorem rei nostræ lucem affert alius ejusdem locus , sermone de temp. CCV. quo docet : *Os Christi Euangelium est : In cælo sedet , sed in terra loqui non cessat .* Omitto cæteros Patres eadem asserentes , & in hunc modum differo : Si coram Rege , & Romano Pontifice , ac ipsis etiam Cardinalibus caput adeo nudandum est ,

est, ut ne pileolus quidem, quo tegatur superst, præcipue quando ipsi nobiscum loquuntur; quanto magis coram Rege Regum, Domino dominantium, ac Principe Pastorum Jesu Christo, cujus vox est Euangelium, & qui adesse in Euangelio censetur; quemadmodum Majores nostri perpetuo testati sunt, qui velut Christum præsentem, Euangelium secum gestabant; in supplicationibus deferebant; in Throno decentissime exornato locabant; summisque honoribus prosequebantur, ut suis locis videbimus. Unum ego hic addiderim, ipsummet Christum Dominum tanti fecisse Euangelium, ut piam, atque religiosam ejus auditionem, possessioni etiam corporis sui præposuerit: Quum enim, ut refert S. Lucas cap. XI. extollens vocem quædam mulier de turba illi dixisset: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti*; Ille, ipso Euangelista testante, statim respondit: *Quinimo beati qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.*

Sed videamus quæso quid in rem, de qua agimus sit judicium Romani Pontificis. Flagitavere olim ab Apostolica Sede sub Innocentio Papa IV. Cantuarienses Monachi, ut cum ex præscripta formula divino officio, nudo capite interesse tenerentur, unde plures gravissimis morbis erant impliciti, ipsorum valetudini imposterum consuleretur. Annuit quidem Innocentius, ea tamen constituta lege, ut ad Euangelii lectionem, & quum Jesu Christi Corpus attollitur in divinæ Missæ sacrificio, ritus aperiendi caput omnino servaretur. Extat diploma apud Odericum Raynaldum ad annum MCCXLIII. in quo sic legimus: *Vestris supplicationibus inclinati, vobis utendi pileis vestro Ordini congruentibus, cum divinis interfueritis officiis, concedimus liberam facultatem; ita tamen quod in lectione Euangelica, & elevatione Corporis Domini nostri Jesu Christi, & in aliis debita reve-*

rentia obſervetur . Anagni XII. *Kal. Septembris anno primo* . Quid clarius dici poſſit plane non video .

Ad majorem nihilominus ejuſdem ritus comprobationem , inſignes etiam Theologiæ Doctores , Sacrorum Canonum Interpretes , præterea veteres , recenteſque rerum liturgicarum Scriptores in medium afferam ; qui una atque conſtanti inter ſe congruenti ſententia , aperiendum omnino caput ad Euangelii lectionem ſignificant . Agmen ducat Seraphicus Eccleſiæ Doctor , & Cardinalis S. Bonaventura opuſculo de expoſitione Miſſæ ſic inquiens : *Debent etiam verba S. Euangelii ſtando , & denudato capite ab omnibus , & ſine baculo , vel reclinatorio cum reverentia , & tremore audiri* . S. Bonaventuræ adjungimus doctiſſimum Præceptorem ejus Alexandrum de Hales , Minorum Ordinis ſydus alterum , ac nobile ornamentum *In ſumma Theologiæ par.* IV. *quæſt.* X. *de Miſſa* §. VIII. *Nudato capite , & corpore erecto audiendum eſt Euangelium* . Joannes Cardinalis de Turrecremata ex Ordine Prædicatorum, illuſtris Theologus, & juris ſacri conſultiſſimus in can. *Apoſtolica* , de conſecr. diſt. I. expendens circumſtantias reverentiæ debitæ lectioni Sancti Euangelii , contentas in decreto S. Anaſtaſii Papæ , cujus nos alibi meminimus , ſcribit : *Secunda eſt quod cum reverentia ſtet , quod notatur , cum dicitur , venerabiliter , ſcilicet capite non velato* . Silveſter Prieras ejuſdem Ordinis Theologus , ſacrorum Canonum peritus , & Sacri Apoſtolici Pal. Magiſter in ſumma verbo Euangelium: *Euangelium*, inquit, *non ſedendo, vel genuflexo audiendum eſt, ſed ſtando, & venerabiliter adorando, ſcilicet capite diſcooperto* . Conſentit Bartholomæus Fumus ejuſdem familiæ Theologus , in ſumma , verbo Euangelium : *Euangelium audiendum eſt in Miſſa non ſedendo, vel genuflexo, ſed ſtando capite diſcooperto quoad viros tantum* . Nec aliter docet Baufridus Bouſſardus Cenomanus , Doctor ,

ctor, Theologus, Cancellarius Parisiensis, *De sacrificio Missæ* cap.III. quum scribit: *Secundum Anastasium stantes curvi manere debemus, ut humilitatem, quæ in Euangelio docetur, & reverentiam nos ad lectionem habere etiam corpore demonstremus; ob quam etiam causſam capite nudato Euangelium audimus.*

Missos facio alios plures doctrina, atque eruditione præstantes, ne propositæ brevitatis limites supervacaneo labore, atque conatu præteriisse videar. Utrosque rerum liturgicarum Scriptores proferam, quorum suffragia ritum ipsum longe vetustissimum eximie illustrant, & comprobant. Ordo Romanus apud Hitorpium, describens morem audiendi Euangelium sic ait: *Dum canitur Euangelium, neque corona, neque operimentum super capita habeatur.* Expositio Missæ ex vetusto codice apud eundem: *Capita insuper nostra, dum Euangelium audimus, ab omni velamine detegimus.* Gulielmus Durandus Episcopus Mimatensis, in Rationali divinorum officiorum, lib.IV. cap.XXIV. *Auditur Euangelium nudo capite.* Hugo de S.Victore in speculo de mysteriis Ecclesiæ, cap. VII. *Nunc considera quod plebs hic* (in lectione Euangelii) *baculos deponit, reclinatoria relinquit, caput detegit.* Gemma animæ de antiquo ritu Missarum, Auctore Honorio Augustodunensi: *Dum Euangelium legitur . . . . . tunc etiam velamina capitis auferuntur.* Hildebertus Cenomanensis, Archiepiscopus Turonensis in laudato carmine de mysteriis Missæ.

Inde sinistrorsum Domini sacra verba leguntur,
Plebs baculos ponit, stat, retegitque caput.

Joannes Beleth Doctor Academiæ Parisiensis, in explicatione divinorum officiorum, cap. XXXIX. necessarium esse docet aperire caput dum legitur, auditurque Euangelium. *Necessarium etiam plane est, ut dum legitur Euangelium, velamina capitis deponantur.* Et paullo post.

Viri itaque aperto capite Euangelium audire debent; mulieres vero debent audire Euangelium tecto, ac velato capite, etiamsi sit Virgo, propter pomum vetitum; & si eveniat ut virgo capite sit aperto, & velamen non habeat, necesse est ut mater, aut quævis alia mulier capiti ejus pannum, vel simile quippiam imponat. Joannes Baptista Rubeus lib.II. de officiis cap.xxxvii. *Auditur Euangelium capite discooperto.* Bartholomæus Gavantus in thesauro sacrorum rituum par.I. tit. xxii. *Ad Euangelium capita nudabantur in Ordine Romano. Quod & hodie observatur.* Stephanus Durantus vir consummatæ eruditionis, in opere doctissimo de ritibus Ecclesiæ lib.II. cap. xxiii. *Nunc* (dum legitur Euangelium) *omnes viri nudo, & aperto capite stantes esse debent.* Quibus verbis satis perspicue docet non esse ritum, de quo agimus perfunctorium, sed Euangelio, non uno quidem nomine, omnino debitum.

Præterea Franciscus de Nigro Ordinis Minimorum Theologus in additione ad Ordinem celebrandi Missam Petri Ruiz par.III. §.v. fol. clxv. *Ad Euangelii*, inquit, *lecturam assurgunt fideles, ut indicent se attentos esse, & nudatis capitibus cum reverentia suscipere, atque ad executionem illorum, quæ audierunt promptos esse.* Cæremoniale divini officii secundum Ordinem Carmelitarum, Patris Sebastiani Fantoni Generalis Præsidis jussu editum, lib. I. rubr. xxv. decernit, *Fratres discooperto capite stare debere ad omnia Euangelia tam in Missa, quam extra, & tam in choro, vel Ecclesia, quam extra.* Cæremoniale Sacri Ordinis Prædicatorum, Auctore Fratre Ignatio Ciantes lib. I. cap. ix. *Discooperiant etiam caput, illud inclinando, dum inchoatur in Missa, Gloria in Excelsis Deo, & quoties legitur Euangelium in ea, vel in choro.* Claudat demum Agmen tot tantorumque illustrium Scriptorum Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis,

lensis, de quo illud merito fertur elogium: *Hic stupor est Mundi qui scibile discutit omne*. Is postquam *præfatione in Euangelia* cap. XXXII. nervosis rationibus rem comprobasset, vix tandem sibi temperare potuit, quin scriptum relinqueret, *inhonestum esse, & irreligiosum cooperto capite Euangelium audire*.

Atque ut res omni probationum genere testata reddatur; quæ hactenus ex Sanctis Patribus, Summis Pontificibus, Theologis, sacri juris Consultis, & rerum liturgicarum Scriptoribus comprobata est, consentaneum videtur aliquibus etiam illustrari exemplis. Enimvero consueviſſe olim Imperatores submoto Imperiali diademate stare ad Euangelii lectionem, perspicuis verbis testatur S. Joannes Chrysostomus, in illud Attendite ne eleemosynam vestram &c.: *Etiam ille ipse qui regio diademate redimitus est, cum primum leguntur Euangelia stat summo cum timore, ac ne diademate quidem redimitum esse caput suum permittit, sed Deum in Euangeliis loquentem inflexa cervice veneratur*. Alterum exemplum quo recentius, eo item validius, ac venerabilius est: spectat enim Jesu Christi in terris Vicarium Benedictum XIII. Pontificem Maximum, qui inter alia quibus vitam sanctissimam illustravit; tametsi calvus, & senio confectus, hyemisque sæviret acerbitas, perpetuo detecto capite Euangelium auscultabat; malens salutis subire periculum, quam a sacris ritibus vel latum unguem discedere; adeo erat Ecclesiasticæ disciplinæ, quam probe callebat, tenax, servator, & custos.

Sed cur ego ad coacervanda exempla progrediar? Monere sufficiat ritum ipsum diligentissime, ac religiose servare Clerum lectissimum Basilicæ Lateranensis, quæ *omnium Ecclesiarum totius Orbis Caput audit, & Mater*. Clerum item præstantissimum Basilicæ Vaticanæ, quæ a Nicolao III. *Ecclesiarum omnium speculum* appel-

appellatur: eundem Monachos Ordinis S. Benedicti, Clericoſque Barnabitas, Congregationis Apoſtolicæ Miſſionis, cæteroſque pios omnes, religioſoſque Catholicos. Imo, quod etiam notatu dignum, ſanctos ipſos una cum Chriſto regnantes in Cælis, coronis depoſitis ſtare ad Euangelii lectionem, beatæ Gerardeſcæ Piſanæ tertii Ordinis Camaldulenſium viſum mirificum manifeſtat, quod ejus vitæ auctor ita deſcribit apud Bollandianos, ad diem XXIX. menſis Maji: *In Eccleſia Sancti Savini in feſto omnium Sanctorum, cum Euangelium diceretur, vidit Sancta Cælos apertos, & Sanctos ſtantes coronis depoſitis propter reverentiam Euangelii.* Statimque hæc ſubdit: *Ex tunc itaque Sancta perpendit, quod dum Euangelium in terra canitur, coronæ Sanctorum in Cælo cum reverentia deponuntur.* Hoc fortaſſe iis viſum ridiculum videbitur, qui comœdis, ac lyricis ſcriptoribus delectantur; quique maledicis heterodoxorum libris ſtudium ſuum impendentes, immiſſa a Deo Sanctorum mentibus lumina, piaque objecta viſa impie rident, ac ludibriis afficiunt. At malo ego cum viris ſanctis irrideri, quam cum impiis ſentire impie, ſolo nomine eruditionem profitentibus, & dictorum audacia.

Quamvis vero omnibus perſuaſum ſit (quod & nos libentiſſime fatemur) nudationem capitis ad Euangelii lectionem fieri ob reverentiam Euangelio debitam; ejus tamen ritus aliæ quoque ſunt cauſſæ, quæ Chriſtianos homines ad illum pie, utiliterque ſervandum inflammare poterunt. Prima eſt, quod Euangelica prædicatio omnia legis velamina removit, atque homines qui prius in ænigmate, quodammodo, & quaſi per tranſennam videbant, modo ipſam veritatem aperta legis cognitione intueri, & intelligere facit. Altera ut omnes ſenſus expediti, atque intenti ſint ad audiendum. Tertia in argumentum obſequii, & reverentiæ. Atque hæc qui-

quidem potiſſimæ; quibus alias quoque addunt memorati Scriptores; nimirum quia Chriſtus proprium ſuum caput pro nobis ſpinea corona velatum habuit. Ut inter caput audientium, & Deum nihil ſit medium. Ad denotandum quod propter Euangelium debemus eſſe prompti omnia temporalia a nobis abjicere, & abdicare. Atque hæc eſt cauſſa, inquit Toſtatus, quare Clerici non ſolum habent capita diſcooperta, ſed etiam raſa, ad ſignificandum ſcilicet majorem abdicationem temporalium rerum, quam laici, cum minus Deo adhæreant quam Sacerdotes, & Pontifices; qui ſunt medii inter Deum, & populum: & iſta eſt cauſſa, ſubdit laudatus Auctor, quare Monachi majores habeant tonſuras, quam Clerici Sæculares, ſcilicet quia illi magis a ſe omnia abjecerunt, cum nihil poſſideant.

De ritibus poſt Euangelii lectionem ſervatis, ac primum de acclamationibus Amen, Deo gratias, *& aliis.*

CAPUT XXV.

VIdendum nunc quas olim Chriſtiani cæremonias ſervabant poſt lectionem S. Euangelii. In primis ſicut in veteri lege, Moyſe mandata Dei promulgante jubetur omnis populus dicere *Amen*, ut in Deut. cap. XVII. ita priſci fideles ad Euangelicæ legis annuntiationem *Amen* quoque reſpondere conſueverunt. Ad quem morem fortaſſe reſpexit S. Benedictus, quum Monachis ſuis in Regula cap. XI. præcepit, ut lecto Euangelio omnes reſponderent *Amen*. In Miſſa Mozarabum ſimiliter in fine Euangelii reſpondetur *Amen*; idemque ad finem Epiſtolæ cujuſcumque, & Prophetarum præſcribitur reſpon-

ſpondendum. Inter fideles aliqui etiam dicebant: *Deo gratias*, ſed monet Belethus in explicatione divinorum officiorum, capite XXXIX. melius eſſe dicere, *Amen*. Alexander de Ales, quarta parte ſummæ, *De officio Miſſæ*, utriuſque ritus rationem aperit his verbis: *Perlecto Euangelio dicunt aſſiſtentes* Amen, *quaſi dicant: faciat nos Deus perſeverare in doctrina Euangelii. Alii dicunt*: Deo gratias, *in gratiarum actionem pro beneficio tantæ doctrinæ, & tam ſalutaris*. Gulielmus Durandus lib. IV. *Rationalis divinorum officiorum* cap. XXIV. addit quoſdam literatos dicere conſueviſſe: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Nos hodie dicimus, *Laus tibi Chriſte*, etiam in fine illius partis Dominicæ Paſſionis, quæ legitur in tono Euangelii, præterquam in Paraſceve, quia hæc dies, ut recte docet Paulus Maria Quartus Theatinus ſacrorum rituum peritiſsimus, fuit Chriſto tempus improperii, non laudis. Sacerdotes Maronitæ in fine Euangelii, referente Joanne Cardinale Bona libro II. *Rerum liturgicarum* cap. VII. hæc habent: *Ipſi Jeſu Chriſto ſint laudes, & gratiarum actiones, & benedictiones propter verba ſua, quæ ſunt erga nos; & Patri ejus qui miſit eum propter ſalutem noſtram; & Spiritui ejus vivo, & ſancto, nunc, & in ſæcula ſæculorum, Amen*. Nos Latini ſtatim poſt recitatum Euangelium dicimus: *Per Euangelica dicta deleantur noſtra delicta*.

De ritu exprimendi rurſus Crucis ſignum.

CAPUT XXVI.

PRæterea populum audito Euangelio iterum ſe Crucis ſigno munire conſueviſſe prodit Ordo Romanus: *Perlecto Euangelio iterum ſe ſigno Sanctæ Crucis populus munire feſtinat*. Conſentit Auctor nomine Alcuini, eamque

que tradit rationem, ut quod ex divinis eloquiis ad ſalutem percepit, ſignatum ſigillo Crucis, atque munitum permaneat, ne a mentibus eorum diabolica fraude evacuari valeat. Idipſum docet Durandus, ejuſque ritus hanc cauſſam recenſet: *Signo Crucis ſe in pectore muniunt contra Diabolum, ne ſemen verbi Dei ſuffocetur in eis, & ne ſermonem Domini rapiat de pectoribus eorum; quaſi dicant: Deus nos faciat in doctrina Chriſti perſeverare; & ut ſignificent ſe habere in corde quod exprimitur in ore.*

De ritu Oſculandi Euangelium.

CAPUT XXVII.

RItus eſt æque antiquiſſimus, ut expleta lectione Euangelii, nedum Diaconus, ſed & Epiſcopus, ac Clerici omnes librum oſcularentur in ſignum veneration is, & communionis cum Domino Jeſu Chriſto, & doctrina ejus, ut ſapientiſsime docet Jonas Aurelianenſis Epiſcopus præfatione libri II. de cultu Imaginum: *Sacræ Religionis uſus adhuc in Eccleſia ſervatur; ut peracta ſacra Euangelii lectione, ab Epiſcopo, vel Presbytero, cæteriſque ſacri Ordinis Religioſis codex, in quo Euangelii lectio recitata eſt, multiplicibus oſculis veneretur: ſed hoc cujus cauſſa, niſi illius, cujus eſſe verba creduntur, agimus?* Jacobus Eveillon Canonicus Eccleſiæ Andegavenſis libro *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, quem aliqui citant nomine Claudii Epiſcopi Andegavenſis, diſerte docet oſculum iſtud Chriſto in Euangelio datum, ſignificare actum fidei internum, quo aſſenſum præbent omnes veritati Euangelicæ annuntiatæ, eam acceptando: verba autem oſculo ſuperaddita, actum externum, quo eandem fidem palam profitentur juxta illud: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Quam ſingulorum confeſſio-

nem ſtatim ſubſequitur communis, & publica Eccleſiæ profeſſio, omnibus uno ore canentibus ſymbolum. Qua de re ſic diſſerit S. Thomas Doctor Angelicus, III. parte, quæſt. LXXXIII. artic. IV. *Perfecte autem populus inſtruitur per doctrinam Chriſti in Euangelio contentam, quæ a ſummis miniſtris legitur, ſcilicet a Diaconibus; & quia Chriſto credimus tanquam divinæ veritati, ſecundum illud Joannis VIII.* Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? *lecto Euangelio ſymbolum fidei cantatur, in quo populus oſtendit ſe per fidem Chriſti doctrinæ aſſentire.*

Quantum ad laicos, etiam ipſos ad Euangelium oſculandum fuiſſe admiſſos teſtatur Ordo Romanus, & vetus Miſſæ expoſitio ex vetuſto codice apud Hitorpium his verbis: *Deſcendente Diacono de Ambone, Subdiaconus qui in filo ſtat, recipit Euangelium, quod tenens ante pectus ſuum ſuper planetam, porrigit oſculandum, primum Epiſcopo, aut Presbytero, deinde omnibus per ordinem graduum qui ſteterint, & univerſo Clero, nec non populo.* Rupertus Abbas Tuitienſis libro II. *De officiis* cap. I. ſcribit Euangelii librum, quem Subdiaconus clauſum ad introitum portaverat, ab eodem apertum circumferri omnibus religioſo oſculo ſalutandum: & quidem non ſine myſterio; *quia*, inquit, *poſt prædicationem Chriſti cæpit lex credentibus, quam antea geſtabat clauſam, apertam oſtendere fidem Euangelicam.* Honorius Auguſtodunenſis, ſeu Gemma Animæ *De antiquo ritu Miſſarum* cap. XIX. apud Hitorpium tradit Euangelium cum incenſo per chorum delatum, & ſingulis ad oſculandum porrectum, ob hanc rationem, quia Apoſtoli Chriſtum odorem vitæ per mundum prædicaverunt, & cunctis gentibus per verbum ejus, pacem æternam præbuerunt. Tandem Edmundus Martene libro II. *De Monachorum ritibus* cap. IV. ex conſuetudinibus Cluniacenſium Monacho-

chorum manuſcriptis rem ſcitu dignam docet, nempe, nocturnam illuſionem paſſis Euangelium oſculari non licuiſſe; quod ſane peculiaris erga Chriſtum Dominum reverentiæ, & venerationis argumentum eſt.

Quamvis autem antiquitus etiam populus ad Euangelii oſculum admitteretur, Honorius tamen III. Pontifex Maximus literis ad Matthæum Patriarcham CP. lib. v. ep. CCCLXXXXII. miſſis, ſub pœna excommunicationis cuicumque ſæculari Principi Euangelii oſculum præberi vetuit, niſi eſſent perſonæ oleo ſacro inunctæ. Quamobrem quum quidam Epiſcopi, Polonorum Reginam, quod non dum ſacro ritu corona regia eſſet redimita, ad Euangelii oſculum admittere recuſarent, ſcribit Odericus Raynaldus ad annum MDXLIX. num. XXVI. Paulum III. Pontificem Maximum precibus Regis permotum, indulſiſſe Reginæ ejus conjugi, ut inter divina myſteria Euangelium, & patena illi deoſculanda porrigerentur, tametſi ritu ſacro non dum eſſet regio inſignita diademate. Ætate noſtra juxta Miſſalis Romani cæremoniales regulas, quas vulgo rubricas appellant, Sacerdos finito Euangelio librum oſculatur, præter quam in Miſſis Defunctorum, & niſi celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo in eorum Diœceſibus; quo caſu cuilibet ipſorum liber oſculandus defertur, Sacerdos vero celebrans conſueto abſtinet oſculo, nec dicit, *Per Euangelica dicta*. Sic rubrica; cujus rei eam rationem indicat Paulus Maria Quartus, quia oſculans librum ſub verbis prædictis fungitur officio mediatoris inter Deum, & populum, cui pacem auguratur, & peccatorum remiſſionem loco Chriſti: quod pertinet ad dignitatem quandam; & idcirco digniori defertur oſculandus liber, quia Chriſtus unus eſt. Cæterum non defertur liber oſculandus aliis Prælatis Epiſcopo inferioribus ex

decreto Sac. Congregationis die XXII., & XXVIII. Auguſti, anno MDLXXXIX. apud Gavantum; Multo minus deferendus erit viro Principi laico. Quod ſi alicubi eſſet conſuetudo in oppoſitum tolerata, deferendus eſt, ait Gavantus, alius liber, & Sacerdos tunc ſuum oſculatur. Romæ id obſervatur, ut quum plures interſunt Cardinales, Euangelium nulli præbetur oſculandum, juxta illam Cæremonialis Epiſcoporum regulam lib. I. cap. XXX. *Liber Euangelii dabitur oſculandus ſemper majori, aut digniori omnium, vel ſi eſſent plures æquales, nulli.* Quæ tamen regula fefelliſſe videtur, quum ineundi fœderis gratia Ludovicus XIV. Galliæ Rex, & Philippus IV. Hiſpaniarum, ad proprii Regni fines acceſſerunt, ubi altari in collimitanea linea erecto, ſimul divinæ Miſſæ ſacrificio adſtiterunt, oſculumque Euangelii, & pacis in Icone ſacra duo Cappellani ſeorſim, & eodem tempore utrique præbuerunt.

Quid autem dicendum ſi Epiſcopus coram Cardinali ſacris operaretur? Libere dicam non quod fit, ſed quod eſſet faciendum attendi debere. Quicquid agant quidam cæremoniarum magiſtri parum curavero: clariſſima eſt Cæremonialis Epiſcoporum diſpoſitio ita præſcribentis lib. I. cap. XXIX. *Liber Euangelii celebrante Epiſcopo nulli etiam magno Principi, aut Prælato Miſſæ præſenti datur oſculandus poſt lectum Euangelium; ſed ſi adeſſet aliquis maximus Princeps, vel S. R. E. Cardinalis, cui liber Euangelii oſculandus eſſet, non utique liber Euangelii, quo utitur Epiſcopus, ſed alius codex porrigatur.* Ex quo ſatis liquet, quæ ſit illorum hallucinatio, ſeu potius fœda aſſentatio, qui ſacrum Epiſcopo celebranti librum eripientes, Cardinali deoſculandum præbent. Cujuſmodi abuſum ſolidiſsimis argumentis reprehendit vir notæ literaturæ Joannes Baptiſta Braſchus Archiepiſcopus Niſibenus in opuſculo italice manuſcripto,

pto, cui titulum præfixit : *Diſcurſus cæremonialis, De præeminentia oſculandi Euangelium debita Epiſcopo in Pontificalibus celebranti.*

Neque vero diſſimulandus eſt abuſus ille, qui in Eccleſiam S. Petri Oppidi Romarocomontis Tullenſis Diœceſeos irrepſit; quique licet alias a Sacrorum Rituum Congregatione fuerit improbatus, adhuc tamen vigere noſcitur. Nam præterquam quod Subdiaconus in Miſſis ſolemnibus memoratæ Eccleſiæ Virginum Præſidi Euangelium deoſculandum defert, itemque ſacram iconem ad pacem, & corporale; ipſi etiam ſacri Miniſtri Diaconus, ac Subdiaconus ſacris ornati veſtibus inter ſacra Miſſarum ſolemnia, relicto in Altari Sacerdote, ad ipſam ex ſede ſua ſuſcipiendam pergunt; quam, ex utroque latere fimbrias illius pallii elevantes, ad offerendum in Altari comitantur, expleto autem offertorio ad propriam ſedem quadraginta paſſibus diſtantem pari cæremonia proſequuntur. Quos tamen abuſus iterum ad ſacrorum rituum Congregationem delatos, ita omnes, ac ſingulos ſtrenue, ſolideque confutavit Amicus noſter Joſeph Modius, Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Patronus, ut eadem, quæ ipſe ſcripſit repetere, vel alia adjicere ſupervacaneum videatur.

De ritu ſigillo obſignandi Euangelium poſt ejus lectionem.

CAPUT XXVIII.

ANimadvertit Eruditiſſimus Blanchinus *In Notis hiſtoricis ad Anaſtaſii Papæ vitam* pervetuſtum fuiſſe morem literis etiam conſignatum in Ordine Romano, ut Epiſcopi toties ſigillo munirent Codicem S. Euangelii, quoties Diaconus cum ab Epiſcopo reſeratum, publice-

bliceque in Ambone lectum ad Episcopum referret: quem deinde per Subdiaconos regionarios acceptum, archivo condebant Apostolico. Sed cur sacra hæc volumina tam crebro in Ecclesia legenda sigillo semper obsignabantur; huic quæstioni quum causſam nullam Auctores reponant, aliquot conjecturas Joannis Ciampini veterum monimentorum investigatoris eximii in medium afferam; quibus etiam meas qualescumque adjiciam, ut rei satis obscuræ lux affulgeat.

Prima est volumen Euangeliorum signantes veteres Patres illud profecto imitari voluisse, de quo in Apocalypsi cap. v. Joannes inquit: *Et vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum signatum sigillis septem.* Quod visum primævi Christifideles etiam curabant, ut musivo opere ob oculos ponerent; sæpe enim viginti quatuor illos Seniores, quos cum phyalis, & coronis Joannes descripsit, effinxere; ut in Ecclesia S. Pauli, ac S. Praxedis, & Cæciliæ; alibi quatuor animalia Euangelistarum symbola; nec non Iridem, Agnum, & alia quamplurima, inter quæ etiam volumen septem sigillis munitum; veluti supra solium gemmis conspicuum expressum est in arcu summo Basilicæ Liberianæ. Nec quicquam officit quod uno, non vero septem sigillis Euangelium obsignaretur; nam & septem fortasse in speciem aderant, licet uno tantum clauderetur ad tollendum profecto tædium, & moram inopportunam tam in obsignando, quam in resignando necessario impendendam.

Præterea cum Sacræ Scripturæ puritas, ac veritas vel per ignorantiam Amanuensium, vel per dolum, improbitatemque hæreticorum in dies corrumperetur, ut huic malo occurreretur, Summi Pontifices decreverunt, ut singulæ Ecclesiæ sua volumina Euangeliorum juxta acceptissimum, ac genuinum sensum haberent, eaque post Euangelii lectionem continuo sigillo munirent, cujus præci-

præcipuus uſus, ac munus eſt fidem humanis rebus, & auctoritatem præſtare. Quod autem hæretici ſuopte velut ingenio, doloque malo ad ſuos comprobandos errores, divinos libros paſſim corrumperent, & adulterarent, veteres Eccleſiæ Patres ſæpe teſtantur. Id genus impietatis noſtris etiam temporibus recentes hæretici nefarie ſunt imitati; nam ut alios ſileam, Zuinglius loco illorum verborum: *Hoc eſt Corpus meum*; contra omnium exemplarium græcorum, & latinorum fidem, in editione germanica appoſuit: *Hoc ſignificat Corpus meum*. Lutherus autem ut ſuam de juſtificatione per ſolam fidem conſtabiliret ſententiam, ubi Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos cap. III. ait: *Arbitramur hominem juſtificari per fidem*, de ſuo ipſe addidit *ſolam*. Cumque rogaretur cur id feciſſet; homo effrons ac petulantiſſimus in hæc verba reſpondit. *Si tuus Papiſta moroſum, & difficilem ſe præbere volet de voce*, Sola, *ſtatim dic: Papiſta, & Aſinus eadem res eſt: Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas: Nolumus enim Papiſtarum eſſe Diſcipuli, ſed præceptores. Semel enim ſuperbiendo gloriabimur adverſus hujuſmodi Aſinos.* Et infra. *Rogo te ne quid aliud hujuſmodi aſellis reſpondeas de voce*, Sola, *ſed tantum dicas: Lutherus ſic vult, ille Doctor eſt omniam Doctorum in Papatu &c.* En modeſtiam hujus pſeudoprophetæ in fraude illa excuſanda.

Spectare etiam potuit ſacri voluminis obſignatio fidem nedum illius, verum etiam gemmarum, aliorumque ornamentorum, quibus magnifice renidebat, cuſtodiam; ea ſiquidem adhibita cautela non ita facile auferri poterant. Quandoquidem inſtituti veteris fuit, ut ſacra ſupellex divinis expletis officiis in loco ſera munito reconderetur, ſigilloque etiam aliquando vitandi cujuſlibet detrimenti gratia obſignaretur, quemadmodum ex Burchardo, & Ordine Romano animadvertit vir clariſſimus

simus Joseph Vicecomes. Potuit demum signari Euangelium, ne quod in Missa Episcopi adhibebant, alii divino ipso volumine uterentur. Sacris siquidem canonibus ob honorem Episcopo debitum sæpe cautum fuit, ne in Altari ubi Episcopus sacrificium obtulit, alii rem divinam operari præsumerent.

De ritu concionandi proxime post Euangelii lectionem.

CAPUT XXIX.

IN primæva Ecclesia vetitum fuit ne quis Dei Verbum publice loqueretur, nisi esset qui interpretaretur. Quid enim quæso prodesset loqui, nisi intelligatur quod ore profertur? Hinc laudabilis illa inolevit consuetudo, ut ex recitatis Scripturæ Sacræ lectionibus, maxime vero ex pronuntiato mox Euangelio veteres Ecclesiæ Patres suas ut plurimum exordiri consueverint conciones. Auctor Apostolicarum Constitutionum lib. II. cap. LVII. Missæ sacrificii ritum, ac ordinem perstringens, ipsam tum Presbyterorum, tum Episcopi concionem proxime post Euangelii lectionem statuit. *Acta*, inquit, *nostra legantur, item Epistolæ Pauli adjutoris nostri, quas Ecclesiis misit Spiritus Sancti instinctu dictatas. Postea Diaconus, aut Presbyter Euangelia legat; deinde hortentur populum Presbyteri non omnes simul, sed singulatim, & postremus omnium Episcopus, qui similis est gubernatori navis.* Idem lib. VIII. cap. v. *Post lectionem legis, & Prophetarum, & epistolarum nostrarum, & Actorum, atque Euangeliorum salutet Ecclesiam ordinatus dicens*: Gratia Domini nostri Jesu Christi, & caritas Dei Patris, & communicatio Spiritus Sancti cum omnibus vobis; *& omnes*

omnes reſpondeant: Et cum ſpiritu tuo; *& poſt ſalutationem alloquatur populum ſermone hortatorio.*

Ejuſdem ritus teſtimonia frequentiſſima ſunt apud Origenem, Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum, Gaudentium, Chryſoſtomum, Chryſologum, Leonem Primum Pontificem Maximum, Gregorium item Papam cognomento Magnum, & alios quorum ſermones habemus. Extant etiam in Conciliis ſanctiones multæ huc ſpectantes. Sed & Valentinæ Synodi in Hiſpania Canone I. de hac eadem re ita Patres caverunt: *Antiquos canones relegentes, inter cætera hoc cenſuimus obſervandum, ut Sancta Euangelia ante munerum oblationem in Miſſa Catechumenorum, in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur, quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel ſermonem Sacerdotis* (Ecce concionem ſtatim poſt lectum Euangelium) *non ſolum fideles, ſed, & catechumeni, & pœnitentes, & omnes, qui ex adverſo ſunt, audire licitum habeant: ſic enim Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem attractos evidenter ſcimus.* Quicquid demum pertinet ad hoc argumentum, ſumma cum eruditione tractavit Ambroſiani Collegii Doctor Bernardinus Ferrarius in opere *De ritu ſacrarum Eccleſiæ veteris Concionum.* Morem capellæ Pontificiæ Ordo Romanus auctore Paride Craſſo ſacrarum cæremoniarum Præfecto ita deſcribit „ Sermones intra rem divinam per totum annum ordinarii ſunt numero decem, & novem; ex quibus quatuor in totidem dominicis de Adventu; & quinque in totidem aliis dominicis de Quadrageſima, excepta die Palmarum. Qui omnes non niſi in capella, & per Regulares fiunt; ſed alii decem, tam per Regulares, quam per Sæculares arbitraliter fieri poſſunt, videlicet in die omnium Sanctorum, S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Euangeliſtæ, Circumciſionis, Epiphaniæ, Cinerum, Paraſceve, Aſcenſionis,

Pentecoſtes, & Trinitatis. Et quoniam hi novendecim ordinarii in cantati Euangelii currentis expoſitionem, & in Dei laudem aguntur, ſacri vocantur: ideoque non niſi inter ſacra Miſſarum ſolemnia, & poſt Euangelium cum petitione benedictionis, ac Angelicæ ſalutationis præfatione recitantur. Si qui vero extraordinarii, ut pro pacis, ſeu victoriæ ſignificatione, ſive alia cauſſa; aut in laudem alicujus defuncti fiunt; quia ſacri non cenſentur, ideo poſt Miſſas, & abſque benedictione, ac ſine Angelicæ ſalutationis præfatione recitantur. Intra Miſſas aliorum Sanctorum Euangeliſtarum, aut Doctorum Eccleſiæ habendas ſermo haberi poteſt; ſed pro aliis Sanctis non ſolet. Et regulariter numquam una eademque die ſermo, & proceſſio concurrunt.

Tridentina Synodus *Seſſione* XXII. & alibi, nihil antiquius habens, quam veterem diſciplinam revocare, non ſemel mandat Paſtoribus, aliiſque animarum curam gerentibus, ut frequenter inter Miſſarum ſolemnia (utique poſt Euangelium, ſicuti mos eſt) vel per ſe, vel per alios, ex iis quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant.

De ritibus ab Epiſcopo in concionando ſervatis.

CAPUT XXX.

QUoniam vero non unus hac in parte viguit olim in Eccleſia ritus, e re fore ducimus hic diſcrimen breviter aperire, variumque illuſtrare morem. Jeſu Chriſti legem veteres Patres interpretaturi, ſæpe numero ipſum Sacri Euangelii codicem manu geſtare conſueverunt, ut ſuiſmet oculis percurrerent, & ore prænuntiarent quod interpretabantur. Præclarum in rem ipſam locum ſuppeditat S. Auguſtinus tractatu XV. in Euan-

Euangelium S. Joannis. *Hoc lectum eſt*, inquiens, *& hanc lectionem tractandam ſuſcepimus: geſtamus in manibus, quod Dominus Jeſus ad puteum Jacob loquebatur cum Samaritana muliere*. Et in tractatu XL. de Euangelio ſecundum Joannem: *Quod geſtare vos videtis in manibus, jam multa audivit charitas veſtra*. Alicubi ſacrum Euangelii codicem inter Miſſarum ſolemnia coram Epiſcopo concionante apertum ſuſtinebat Diaconus; quandoque minoris ordinis clerici; ſæpe etiam divinæ legis volumen excipiebatur legivo decentiſſime exornato, ante Epiſcopum qui ſermonem habebat, conſtituto. Quod diximus, non modo ex particularium Eccleſiarum libris ritualibus, verum etiam in nonnullis Italiæ, præſertim & Regni Neapolitani Diœceſibus hodieque ex priſco more ſervatur. Argumentum fere ex conſueta decurrentis diei lectione ſumebatur; quandoque fortuita etiam libri Euangelici aperitio ſuppeditabat. De re ipſa loquens S. Auguſtinus ſermone LXIII. De verbis Domini in Euangelium S. Joannis hæc habet: *Euangelica lectio propoſuit nobis unde loquamur ad charitatem veſtram tamquam Domini imperio, & vere Domini imperio. Ab illo enim expectavit cor meum tamquam juſſionem proferendi ſermonis: ut hinc eum intelligerem me velle, quod recitari ipſe juſſiſſet*. Ipſum denique Sancti Euangelii interpretandi munus, quod ut ſequenti capite demonſtrabimus, Epiſcoporum præcipuum eſt, non ſolum ipſoſmet Epiſcopos, atque Presbyteros, verum etiam Diaconos, gravi tamen urgente cauſſa, antiquitus impleviſſe perſpicuum eſt. Id erudite ſuo more oſtendit Bernardinus Ferrarius, lib. II. cap. x. palam item faciens *Euangeliſtas* ab Apoſtolo in epiſtola ſecunda ad Epheſios cap. IV. appellatos fuiſſe illos Diaconos, qui Euangelii prædicandi munus obibant.

Euangelium prædicandi proprium Episcoporum munus.

CAPUT XXXI.

EXplorata res est sacris divinæ Scripturæ, SS. Patrum, atque Conciliorum auctoritatibus facta conspicua, prædicationem Verbi Dei jure divino ad Episcopos pertinere; quod non uno in loco testata est Synodus Tridentina; sunt enim Episcopi veri Ecclesiæ, & Dominici gregis Pastores, quibus incumbit ex munere commissum sibi populum pascere salutaris doctrinæ pabulo, & lupum instar canis latratu suo arcere, ne rapiat, & dispersat oves. Hinc S. Ambrosius lib. I. *De officiis* cap. I. agens de se ad Episcopatum compulso ait: *Jam effugere non possumus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit Sacerdotii necessitudo.* Hinc S. Cyprianus nihil antiquius habebat, quam Dei Verbum assidue prædicare, quippe qui soleret quotidie illud populo annuntiare, ut ipse in exordio libri de disciplina, & bono pudicitiæ tradit, dum inquit: *Semper enitor vel maxime quotidianis Euangeliorum tractatibus aliquando vobis fidei, & scientiæ per Dominum incrementa præstare*; imo teste Pontio ejus Diacono in vita ipsius, tantum ei erat Verbi Dei prædicandi desiderium, ut inter concionandum extremum diem claudere haberet in votis. Hinc tandem Christianus II. Archiepiscopus Moguntinus percontanti Gulielmo Imperatori, num sibi in re quapiam militari consilio adesse vellet, prudentissime respondit: *Episcopi est docere Verbum Dei, non gladium stringere, quem Christus mandavit Petro mittere in vaginam.* Sed quid Patres, & exempla attexam? Ipse Apostolus sicut requirit Episcopum irreprehensibilem, ita etiam vult *Doctorem,*

florem, & ut sit exemplum fidelium in verbo, & attendat lectioni, & exhortationi, & doctrinæ, utque sit potens exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere; ideoque vult Timotheum, quem Ephesiorum Episcopum constituerat, instare, & prædicare verbum opportune, importune, ideſt assidue & sine intermissione; in cujus rei symbolum, ut alibi dicetur, datur Episcopo in consecratione liber Euangeliorum. Qui liber adeo est Episcopi proprius, ut eum olim semper, potissimum vero in sacris concionibus præsentem haberet.

Sed audiamus futiles nonnullorum excusationes, quas tamen egregie refellit Cardinalis Bellarminus libro II. *De gemitu Columbæ* cap.v. „Alia inquiunt, nunc sunt tempora, alii mores. Ita est, respondet laudatus Theologus, alia sunt tempora, alii mores, sed non alia obligatio. Cur enim in consecratione Episcoporum nunc etiam dicitur: *Accipe Euangelium, vade, prædica populo tibi commissso*? An non timere debent Episcopi sic ordinati, ne in judicio audiant, cur prædicationis officium susceperisti, si illud adimplere nolebas? Et si alia nunc esset obligatio, cur in ipso Concilio Generali (Tridentino) nostro tempore celebrato disertis verbis diceretur prædicationis munus præcipuum esse inter Episcopalia munera? Et cur adhuc in Ecclesiis Cathedra sublimis Episcopis erigitur, nisi ut ex edito loco populum doceant? Non dedimus, inquiunt, operam sacris literis, neque in prædicatione, sed in judiciis versati sumus. At neque S. Ambrosius, neque S. Gregorius prædicationi operam dederunt, sed forensibus judiciis; & tamen vocati ad præfecturam Ecclesiæ, continuo lectioni scripturarum, & prædicationi Verbi Dei operam dare cœperunt. Quod idem fecit nostro tempore S. Carolus Cardinalis, qui cum jurisprudentiæ operam dedisset, & usum concionandi non haberet, & linguæ quoque impedimen-

dimentum paterctur ; omnes tamen difficultates Chriſti amore , & officii ſui adimplendi deſiderio ſuperavit , & aſſidue uberrimo cum fructu uſque ad mortem Euangelium prædicavit . Denique inquiunt : multi ſunt hoc tempore prædicatores Verbi Dei ex Ordinibus religioſis . Verum eſt id quidem ; ſed illi vocati ſunt in adjutorium Epiſcoporum , non ut proprium munus ipſorum impediant ; neque adjuvari dicitur qui nihil facit . Et Chriſtus ipſe Apoſtolos duodecim , & ſeptuaginta duos diſcipulos miſit ad prædicandum , ut ſe in eo munere quodammodo juvarent ; & tamen non ideo intermiſit ipſe aſſidue prædicare , & de Paſtore ait : *Vocem ejus audiunt & eum ſequuntur* . Itaque ſi Epiſcopi Paſtores ſunt , ut omnino eſſe debent , id quoque eos præſtare neceſſe eſt , ut oves vocem eorum audiant , ipſorumque vitam , & exempla ſequantur . Hæc Bellarminus , quæ iccirco retulimus , ne nos parvi pretii homines , in corruptos quorundam Epiſcoporum mores cenſorem agere videremur .

DE

DE CODICE SANCTI EUANGELII

ATQUE SERVATIS IN EJUS LECTIONE, ET USU VARIO RITIBUS

LIBER III.

Explicatis ſuperiori libro ſacris ritibus, qui divinum Euangelii codicem, ejuſque ſolemnem in Miſſa lectionem ſpectant; noſtri inſtituti ratio poſtulat, ut ſequentibus libri hujus capitibus de aliis diſſeramus, qui ad varium Euangelii uſum, tum codicis, tum lectionis extra ſacrificium pertinent.

Euangelio ſuper Altari locato æqualis honor, ac Chriſti Cruci delatus.

CAPUT I.

PRiſcis Eccleſiæ ſæculis ſolemne fuit, ut non modo ad initium Miſſæ ſacratiſſimus Euangelii codex magna cum pompa ad Altare deferretur, ſed perpetuo una cum Chriſti Cruce ibi maneret. Enim vero, quemadmodum Sanctos Patres ſtatuiſſe ait Doctor Seraphicus S. Bonaventura, *ne quiſquam Miſſas celebret, niſi in Altari adſit imago Crucifixi*

fixi Domini noſtri Jeſu Chriſti; ita etiam ex ſacris liquet Canonibus, ac vetere Eccleſiæ diſciplina, ut in Altari, ubi ſacra fiunt, Euangelia ponerentur. Id quidem præter alia Remenſe Concilium ab Ivone Carnotenſi Epiſcopo relatum, obſervandum eſſe ſtatuit his verbis. *Ut Menſa Chriſti, ideſt Altare, ubi corpus Dominicum conſecratur, ubi ſanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum Reliquiæ reconduntur, ubi preces, & vota populi in conſpectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundiſſimis linteis, & palliis diligentiſſime cooperiatur, nihilque ſuper eo ponatur, niſi capſæ cum Sanctorum Reliquiis, & quatuor Euangelia.* Ipſum ritum in Eccleſia Laudunenſi adhuc vigere teſtatur vir eruditiſſimus Antonius Bellotto, in obſervationibus ad ritus ejuſdem Eccleſiæ pag. DCCXXII. ait enim ibi in Altari adſtare Euangelium literis aureis exaratum.

De Religioſo autem Euangelici codicis cultu nihil præclarius luculentiuſque afferri poteſt Can. III. Concilii Œcumenici VIII. Conſtantinopolitani IV. quod ſacris Euangeliis honorem æqualem illi, qui Cruci Chriſti defertur, decernit. *Sacram Imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & omnium Salvatoris æquo honore cum libro Sanctorum Euangeliorum adorari decernimus.* Perſpicua eſt ſacri Concilii, ideſt mens Catholicæ Eccleſiæ, cui nec ipſi ſacrarum Imaginum oſores Gallicani Epiſcopi in VII. Synodo adverſabantur; qui alias hunc articulum improbabant: *Sicut divinæ Scripturæ libros, ita Imagines adoramus.* Sacræ namque Scripturæ præſertim Euangelii codices adoratione colendos nec ipſe Leo Iſaurus auſus eſt inficiari; imo ut in memorati Concilii ad Joannem VIII. Pontificem Maximum præfatione teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius, Francorum quidam Epiſcopi Iconoclaſtæ, licet ſacras Imagines impie contemnerent, ac lacerarent, divinum tamen Euangelii codicem quotidie

die oſculantes adorabant. Quanta autem erga divinum volumen fuerit Catholicorum cultus, ac veneratio, præter ea quæ ſuperioribus libris fuſe demonſtravimus, ex iis quæ paſſim dicemus, luculentius innoteſcet. Unum hic adſcribam, quod olim notavit Lucas Tudenſis libro I. *De altera vita*, cap. XXI. *Quis tanta inſania ducitur, qui ſacram videns Scripturam non ſimpliciter veneretur, & Euangelium Dei non adoret, & oſculetur?*

Euangelium in Proceſſionibus delatum, præcipue Dominica Palmarum.

CAPUT II.

QUemadmodum olim apud Hebræos arca fœderis, in qua erant tabulæ legis, ita apud veteres Chriſtianos Euangelii codex, quo Chriſti lex atque doctrina continetur, ſumma cum pompa in Proceſſionibus deferebatur. Perſpicuum, & illuſtre eſt in rem ipſam Marci Diaconi teſtimonium, qui agens de Proceſſione a S. Porphyrio Gazenſium Epiſcopo inſtituta, ſic inquit apud Surium die XXVI. Februarii: *Congregato populo in Eccleſia, quæ appellabatur Irene, juſſit omnes pſallentes ſimul proficiſci in Marnium, quod olim fuerat, ipſe vero ſequebatur portans* Sanctum Euangelium, *& circa ſe habens pium clerum; revera imitans Chriſtum cum Diſcipulis: præcedebat autem populum ſemper memorandus Barochas, venerandæ Crucis portans effigiem.* Auctor vitæ, & actorum S. Liborii Epiſcopi Cenomanenſis, loquens de ejus translatione, ſcribit: *Clerus omnis Sacerdotalibus, & Eccleſiaſticis indumentis, elevatoque feretro ſanctorum pignorum in humeris Sacerdotum, ſonantibus quoque ſignis omnium per Urbem Eccleſiarum, ac præeuntibus qui ſanctæ, ac vivificæ Crucis vexilla* San-

ctorum Euangeliorum libros, *& ſacras reliquias in aureis, argenteiſque reconditoriis cum aromatibus proſequebantur; deducitur cum ingenti Cantorum veneratione, cum Pſalmis, Hymnis, & Antiphonis in Oratorium Sancti Vincentii.*

Idem ritus enuntiatur a Flodoardo Baptiſmum Clodovei Regis, vetuſtamque Galliæ pietatem ſic illuſtrante: *Præcedentibus Sacroſanctis* Euangeliis, *& Crucibus magna cum pompa Rex Clodoveus ducitur ad baptiſterium a S. Remigio, ſubſequente Regina, & populo.* Præterea ex actis S. Prernavardi Epiſcopi Ildesheemenſis, ubi hæc habentur: *Feruntur ad ſolemnem Proceſſionem in præcipuis feſtis* Euangelia, *auro, & gemmis clariſſima.* Item ex vita S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani, de quo ejus auctor ait: *Præcepit ut matricularii in omni hebdomada die Sabathi, & in aliis ſolemnibus feſtivitatibus* cum Euangelio, *& cereis cum Dei laudibus reverenter viſitarent.* Apud Andegavenſes teſtatur Claudius Epiſcopus Andegavenſis, ſive potius Jacobus Eveillon Andegavenſis Eccleſiæ Canonicus, *De Proceſſionibus Eccl. cap.* III. eſſe conſuetudinem, ut in celebrioribus Proceſſionibus Civitatis, non tantum Eccleſia Andegavenſis, ſed ſingulæ collegiatæ, ut propriam Crucem, ita & proprium Euangelium præferant. In Græcia eundem morem invaluiſſe, ut Euangelium magna Religionis pompa deferretur, ex eo patet quod inter officia magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ numeretur *Præfectus Euangelio*, qui nimirum illud ferret in ſupplicationibus, ut eſt apud Curopalatem, qui etiam monet id fieri ab Archidiacono in ſolemni ſupplicatione feſti Palmarum.

Uſum Græcorum præſertim in ſacra Proceſſione Palmarum ita deſcribit Codinus in libro de officiis aulæ Conſtantinopolitanæ cap. IX. num. v. *Prior in ambulacrum venit Lampadarius lampadem ferens, totumque feſti*

feſti proprium canticum decantans: Egredimini gentes, egredimini populi; contemplamini hodie Regem Cælorum; Chriſti enim figura Euangelium progreditur, *& deinde Imperator, & filius ejus Imperatoris, ſi adſit, Imperatorem & Patrem ſuum proſequitur. Poſt quem aſcendunt deſpotæ; deinde Archidiaconus cum Euangelio, poſtea Patriarchæ ſi præſentes ſint: poſt illos quatuor, vel quinque Sacerdotes portantes ſacras imagines.* Ritum ipſum illuſtrat doctiſſimus Jacobus Goar in notis ad orationem, qua palmæ diſtribuuntur Dominica ipſa Palmarum „ Inter matutinas, inquit, laudes decantandas Palmarum geſtatio, earumque celebritas perficitur a Græcis, cum ingreſſum Miſſæ imitati a Lampadario facem accenſam geſtante, & præeunte cantatur ἱδιόμελον devotum opus ab impiiſſimo Principe Theophilo, ut Cedrenus refert, editum. *Egredimini gentes, egredimini quoque populi; reſpicite Cælorum Regem, loco enim Chriſti Euangelium procedit.* Tum ad cantum hunc adimplendum, ſequitur Diaconus, & Euangelium, Chriſti figuram geſtat. Procedit deinde Pontifex, & tandem Sacerdotes ſacras imagines manibus tenentes, & e populo quidam ultimum agmen claudunt; eorumque Proceſſione finita matutinarum precum reſiduum perſolvitur; in quo βαΐα, ideſt *palmæ* nullatenus dimittuntur. Hic eſt apud Græcos ſolemnitatis Palmarum ritus, cujus & apud Latinos inſtitutionis originem Ciacconius ad S. Gregorium Magnum, Pontificem Maximum refert. Verum de Euangelii libro Chriſtum Dominum referente in proceſſione Palmarum ſolemni celebritate delato expreſſe meminerunt Ordo Romanus apud Hittorpium, & creditus Alcuinus in libro *De divinis officiis* inter alia ubi hæc habet: *Hodie præparetur quoddam portatorium honeſtiſſime in quo intromittitur* Sanctum Euangelium, *quod intelligitur Chriſtus, & ſtatuitur in Eccleſia ante*

aram, *unde clerus processurus est*. Sacris vero diei palmarum designatis cæremoniis narrationem prosequitur: *Deinde suscipiunt Diaconi suprascriptum portatorium cum Euangelio, bajulantes cum ingenti exultatione jugum Christi suave, & onus ejus leve: præcedente aqua benedicta cum candelabris, atque thymiamateriis, cum aliis ornamentis*.

Hunc denique ritum in sacris Ecclesiis, & Monasteriis Germaniæ viguisse luculenter demonstrat Edmundus Martene *De antiqua disciplina* cap. xx. num. xi. additque in Anglia, & quibusdam aliis regionibus non solum in figura, sed in ipsa rei veritate Christo debitum honorem esse impensum; delata hac in processione, summa cum reverentia Sacrosancta Eucharistia; ita enim decernunt statuta Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi; ita describit Missale antiquum Ecclesiæ Sarisberiensis; meminitque hujus ritus Matthæus Paris *De vitis* xxiii. *Abbatum Monasterii S. Albani*; ubi describit vasculum, seu scrinium a Simone Abbate eleganter elaboratum ad portandum Corpus Domini in processione in ramis palmarum.

Euangelii textus una cum Christi Corpore in Sepulcro asservatus, quod feria v. *Hebdomadæ sanctæ, in ipsius memoriam quotannis fieri solet.*

CAPUT III.

INitio capitis tollendum est dubium, cur die Cœnæ Domini, atque Eucharisticæ institutionis, memoria, & repræsentatio sepulturæ pridie ab Ecclesia recolatur, quam Christus pateretur? Id enim contra ordinem temporis,

poris, & ſeriem myſteriorum videtur, quum Chriſtus Crucifixus, mortuus, atque ſepultus die ſequenti Paraſceve fuerit: non igitur feriæ quintæ, ſicuti moris eſt, ſepulturæ Chriſti memoria, ſepulcrique erectio congruit. Reſpondet Gavantus locum illum, ubi Sacratiſſima Euchariſtia feria quinta Hebdomadæ ſanctæ aſſervari ſolet, *abuſive* a vulgo dici *Sepulcrum*. Verum ego ſatis mirari nequeo, cur ipſa vox tanto ſcrupulo afficiat Gavantum; quum, ut recte notat Paulus Maria Quartus in tractatu *De Proceſſionibus ſpeciatim*, puncto III. a viris etiam eruditiſſimis, ab Epiſcopis, a S. Carolo Borromæo in Concilio Mediolanenſi IV. *Sepulcrum* appellitetur; quo nomine etiam vocatur a Cornelio a Lapide, ſacrarum literarum peritiſſimo, qui exponens Iſaiæ vaticinium cap. XI. *Erit ſepulcrum ejus glorioſum*, ſic ait: *Sepulcrum Chriſti eſt etiam glorioſum annua repræſentatione; & pompa, qua fideles multis in locis ſolent magnificum Chriſto paſſo, & mortuo ſepulcrum excitare ejuſque ſepulturam glorioſam repræſentare.*

Dico itaque cum laudato Quarto repræſentari quidem hac die ab Eccleſia myſterium ſepulturæ Chriſti, ſed per anticipationem; cujus ratio eſt quia ſepulcrum Chriſti vere fuit, & eſt glorioſum juxta Iſaiæ prophetiam, unde jure meritoque vult Eccleſia, ut cum gloria, ac pompa repræſentetur. Quia vero gloria hæc, & pompa, apparatuſque feſtivus die Paraſceve minime congruebat; tunc enim ubique in Eccleſia, ejuſque Miniſtris apparet luctus, & mæror propter Chriſti Domini mortem, iccirco per anticipationem fit repræſentatio glorioſi ſepulcri feria quinta, cui magis congruit apparatus feſtivus, & pretioſus; nam in officio ejus diei lætitia cum luctu, gaudium cum mærore conjungitur, ob differentiam myſteriorum, ut notat Rupertus Abbas Tuitienſis lib. V. *De divinis officiis*, cap. XIV. Siquidem ob inſti-

inſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ, & propter convivium ſuaviſſimum nobis a Chriſto in ultima Cœna paratum ſui pretioſiſſimi corporis, & ſanguinis gaudet, & lætatur S. Mater Eccleſia, canitque in Miſſa hymnum lætitiæ *Gloria in excelſis Deo*, & *Credo*. Locus etiam ubi aſſervatur in craſtinum Sacra Hoſtia dat pariter ex una parte cauſſam gaudii, quatenus eſt Thronus magnificentiſſime exornatus Chriſti Regis, & Sacerdotis in Euchariſtia contenti; ex altera vero cauſſam mæroris, quatenus repræſentat ſepulcrum exanimati ejus corporis; ſed glorioſum ſepulcrum, ob prodigia ibi a Deo patrata.

Quo ritu Euchariſtia ſacratiſſima reconderetur, egregie explicat Edmundus Martene variis Eccleſiarum monumentis. Quod vero noſtrum ſpectat ritum, quem titulo capitis poſuimus; antiquum Rituale ms. Eccleſiæ Sveſſionenſis agens de feria ſexta Paraſceves inter alia hæc habet. *Dum tractus cantatur, Archidiaconus aſcendat in pulpitum ſic: Clericulus cum incenſo nudis pedibus eum præcedat: Deinde Subdiaconus ferens temporalia, infula indutus, poſt illum Archidiaconus ferens* Euangelium *panno ſerico rubro involutum, infula ſua plicata, & in modum ſtolæ ſuper humerum impoſita: finitoque tractu ſtatim incipiat*: Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum Joannem. Gloria tibi Domine *non dicitur*. Egreſſus Jeſus &c. *Et cum dicitur*, Diviſerunt ſibi veſtimenta mea &c. *Duo Subdiaconi, qui primum tractum cantaverunt ſtantes in albis ad cornu Altaris rapiunt illas duas paulas, qui veſtem Domini ſignant ſuper quam milites miſerunt ſortem. Lumen non portatur ante Euangelium; lumen in tota Eccleſia hodie debet celari*. Tenebræ enim factæ ſunt ſuper univerſam terram ab hora tertia uſque in horam nonam, *moriente vero illo qui ait*: Ego ſum lux mundi, ſol obſcuratus eſt, & luna non dedit

dit lumen ſuum. *Finito Euangelio Subdiaconus accipiat illud, & quaſi in occulto ſub infula ſua, velut in ſinu ſuo deferat ad ſepulcrum, clericulo cum thure præcedente*, impoſitoque ſuper Altare quod eſt in ſepulcro, *ambo revertuntur*.

Notationem quoque merentur antiqui ritus Lugdunenſes Monaſterii S. Martini Athanacenſis, qui feria quinta Cœnæ Domini hæc præ aliis obſervanda præſcribunt: *In his tribus diebus poſt perceptionem Euchariſtiæ, habeat Sacriſta paratum textum Euangeliorum cum ſcutellis argenteis ad hoc deputatis, & poſito corpore Domini inter duas patenas, & ponantur dictæ patenæ inter ſcutellas prædictas, & dictæ ſcutellæ ponantur inter textum Euangeliorum, & cum incenſo, & cereis deportetur cum multo honore: & dum Presbyter defert Corpus Domini, teneant Miniſtri pannum ſericum deſuper ipſum & ponatur Corpus Domini ad locum ad hoc præparatum: & dum defertur, totus conventus flectat genua, donec ſit repoſitum, & ponatur cereus ante Corpus Domini, qui ardeat quandiu ibi fuerit, niſi ad* Benedictus, *& tunc extinguatur cum aliis, & iterum accendatur*.

Obiter hic obſervabis quod etiam notat Martene de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis officiis cap. XXII. §. VI. num. XIII. quam ſimplices ſcilicet fuerint veterum ritus in recondenda ſacra Euchariſtia. Noſtris vero temporibus pia fidelium devotio ad reſarciendas aliquo modo illatas a nefandiſſimis hæreticis Sanctiſſimo Sacramento injurias, cum ſumma rituum pompa ad præparatum quam ornate fieri poteſt Oratorium illud deducit: Reconditam autem in ſepulcro Euchariſtiam clave obſerari jubet Miſſale Auguſtodunenſe: addit Miſſale Mozarabum, ut cum cera duobus ſigillis obſignetur ad ſimilitudinem procul dubio ſepulcri Dominici, quod Pilatus ſignari juſſit cum cuſtodibus.

De

De ritu Euangelium legendi ad pedum lotionem, quam vocant Mandatum, *feria quinta Cœnæ Domini.*

CAPUT IV.

MAndatum ita dici, quod Chriſtus Dominus pedum lotionem Apoſtolis ſuis atque diſcipulis in perpetuum obſervandam mandavit, communis Scriptorum docet ſententia. Superflua proinde eſt & vana ritus hujus inſtitutoris inquiſitio. Nec enim S. Gregorius Magnus, ut recte notat vir doctiſſimus Jacobus Goar ad *Græcorum Rituale*, vel quivis alius ſequutus Pontifex, illius auctor haberi poteſt, cum peregrinorum Bethlehem confluentium pedes laviſſe S. Hieronymum, in ejus epiſtolis legamus, & S. Laurentius Confeſſoribus in carcere poſitis idem charitatis, & humilitatis officium præſtiterit; & baptiſma ſuſcepturis, communioniſque conſortibus lavipedium, ut dicunt, multo ante S. Gregorii tempora, a S. Ambroſio *De Sacramentis*, & S. Auguſtino Epiſtola CXIX. cap. XVIII. receptum fuiſſe edoceamur. Potuit tamen fateor inſtituto jam, & commendato huic ritui, feriæ quintæ in Cœna Domini tempus aſſignare S. Gregorius, vel alius poſt ipſum Pontifex Maximus, ut quod Chriſtus ea die edidit abjectionis opus, tota ubique Eccleſia imitaretur: prius enim illius celebrandi diem omnino incertum fuiſſe, ex laudata S. Auguſtini Epiſtola colligere licet.

De hoc mandato cum Euangelio Miſſæ hujus diei meminit Ordo Romanus apud Gavantum parte IV. titulo VIII. ritus vero in Eccleſia latina ita præſcribitur „ Poſt denudationem altarium hora competenti facto ſigno cum tabula conveniunt clerici ad faciendum mandatum: Prælatus, ſeu Superior ſuper amictu & alba induitur ſtola, & plu-

& pluviali violaceis, & in loco ad id deputato, miniſtrante Diacono, (qui paratus cum Subdiacono, ut in Miſſa paramentis albis ei aſſiſtit) imponit incenſum in thuribulo. Deinde Diaconus librum Euangeliorum ante pectus tenens, genuflexus ante Superiorem petit benedictionem: qua accepta adſtantibus duobus Acolythis cum candelabris accenſis, & Subdiacono librum tenente, ſignat librum, & incenſat, & cantat, ut moris eſt Euangelium: *Ante diem feſtum Paſchæ*, ut in Miſſa: quo finito Subdiaconus portat librum apertum oſculandum Superiori, & Diaconus eum de more incenſat. Poſtea Superior exuitur pluviali, & per Diaconum, & Subdiaconum præcingitur linteo, & ſic præcinctus, aſſiſtentibus ſibi iiſdem Diacono, & Subdiacono accedit ad lotionem pedum, & per ordinem diſpoſitis iis, qui lavandi ſunt, clericis pelvim & aquam miniſtrantibus, Subdiacono ſingulorum pedem dextrum tenente, genuflectens ſingulis illorum pedem lavat, extergit, & oſculatur, Diacono præbente linteum ad abſtergendum.

Hæc omnia ſecundum myſticum ſenſum ex Euangelio, quod eſt caput officii pendere monent Rupertus Abbas Tuitienſis, & Gulielmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis: quorum alter in *Rationali divinorum officiorum* ſcribit „ Chriſtus quidem cum diſcipulis cœnans ſurrexit a cœna, veſtimenta depoſuit, linteo ſe præcinxit, aquam in pelvim miſit, & inter cœnandum pedes illorum lavit, & ipſos lavare docuit, & poſt lotionem iterum recubuit. Nempe Chriſtus a cœna ſurgere, eſt ab accubitu Patris venire: veſtimenta deponere, ſe exinanire, linteum præcingere, formam ſervi accipere: aquam in pelvim mittere, ſanguinem ſuum effundere: pedes lavare, peccata remittere: linteo extergere, paſſionis fide mundare: veſtimenta reſumere eſt & a mortuis reſurgere, & veſtem glorioſæ carnis induere:

recumbere eſt & aſcendere, & in dextera Dei ſedere: diſcipulos docere, eſt eis Spiritum Sanctum mittere. Sic ille.

Apud Græcos officii ritus divini, & ſacri ut dicunt *Lavipedii* ita ſe habet: Finitis quibuſdam precibus, & poſt exclamationem, dicente Sacerdote: *Et ut digni fiamus*, in diſpoſitis ſcamnis qui lavandi ſunt ſedent. Et Sacerdote primum lavipedii cantare incipiente, Euangelium, ſtat ſuperior; & prout narrat, vel continet Euangelium, exequitur. Cum itaque dicit, *Ponit veſtimenta ſua*, deponit & ipſe mandyam, ideſt cappam. Cum vero profert: *Linteo accepto præcinxit ſe*, ipſe quoque ſabbano, longiori linteamine ſe ſuccingit. Cum autem ait, *Mittit aquam in pelvim*, mittit & ipſe aquam tepidam. Et rurſus dicto, *Cæpit lavare pedes diſcipulorum*, ipſe quoque lavare adoritur, facto initio ab Oſtiario ad Œconomum uſque, & Eccleſiæ Præfectum, qui eſt duodecimus: & uniuſcujuſque, poſtquam lotus eſt, pedes abſtergit, & oſculatur. Cum vero ad Œconomum pervenit, tunc Euangelii reliquum Sacerdos percurrit: *Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei ille*. Et deinceps Euangelium abſolvit. *Et ut digni fiamus*: & incipit Euangelium quod eſt ſecundum Joannem: *In illo tempore. Sciens Jeſus, quia omnia dedit ei Pater in manus &c.* uſque ad verba illa: *Non eſtis mundi omnes*. Et poſt completum Euangelium diſſolvit Præpoſitus ſyndonem, & mandyam reſumit. Eoque in loco ſuo ſtante, exclamat Sacerdos: *Et ut digni ſimus Sanctum audire Euangelium*; & ſecundum Euangelium legit, quod eſt ſecundum Joannem: *In illo tempore. Poſtquam lavit Jeſus pedes diſcipulorum*, uſque ad verba, *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea*. Dicto Euangelio Sacerdos quandam orationem recitat, deinde dividitur buccella panis, & fit dimiſſio.

De ritu

De ritu deferendi Euangelium in Processione matutina die Paschatis; ac de ipsius usu apud Græcos in salutatione per fraternum osculum eadem die.

CAPUT V.

DUplicem die Paschatis peragi consueviſſe Proceſſionem, matutinam ſcilicet, ac veſpertinam prodit Ordo Romanus apud Hittorpium. In priore expreſſe fit mentio ritus noſtri, nimirum deferendi Codicem S. Euangelii, ſic enim ait: *Die Sancto Paschæ induti ſolemniſſimis veſtimentis omnes clerici convenientes ad ſtationem ad S. Mariam Majorem, primitus cantent Tertiam. Qua finita reſperſi aqua Sancta, quæ pridie collecta eſt de fonte, tam ipſi, quam & omnis populus, procedunt cum omni decore, cum Crucibus, & thymiamateriis, præcedentibus etiam Sanctis Euangeliis, cantantes antiphonas proceſſionales &c.* De myſterio ejuſdem Proceſſionis egregie differit Rupertus Abbas Tuitienſis, *De divinis officiis* lib. VII. cap. XX.„ Cum Crucibus & vexillis, quæ ſunt inſignia victoriæ Chriſti, omnes albati & exultantes in laude Reſurrectionis Sanctæ, procedimus cum tanta populi expectatione ſexus utriuſque, majorum pariter, & minorum, ut corporaliter quoque illud Propheticum in nobis impleri videatur, Iſaiæ LV. *Cum jucunditate exibitis, & cum gaudio deducemini, nam & montes, & colles exilient expectantes vos cum gaudio.* Ut autem proceſsio ageretur (ſubdit laudatus auctor) ex myſtica Euangelii auctoritate tractum eſt, ſcilicet ex eo quod Angeli mulieribus præcipiunt, dicentes: *Ite, dicite diſcipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam*: Et ipſe Dominus occurrens illis

exeuntibus a monumento, cum tenuissent pedes ejus, & adorassent eum, *Ite*, inquit, *nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Concludit tandem Rupertus, & cap. XXIV. sic ait „ Sicque fit, ut tota hæc Processio nihil aliud quam gratiarum actio sit; eo quod resurgens Dominus statim memor nostri, qui eramus absque Deo, discipulos suos in Galilæam ad hoc consilium evocavit, ut baptizarentur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Unde locum quoque quo suprema statione processionem terminamus, nos Galilæam nominamus.

Juxta Ordinis Romani præscriptum Statio est ad S. Mariam Majorem, & imitatione Ecclesiæ Romanæ, testatur Jacobus Eveillon de Processionibus cap. XV. in multis Ecclesiis matutinam hanc processionem ire primo ad altare seu ad Oratorium S. Mariæ, quod ei credatur Christus ante omnes apparuisse, sicut scribit S. Ambrosius lib. V. De Virginibus. *Vidit*, inquit, *Maria Resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit*: quamquam nonnulli contendant non de Maria Deipara, sed de altera Maria, quæ cum Maria Magdalena ivit ad monumentum, hæc Ambrosii verba esse intelligenda. Sed Græci id quidem diserte profitentur in Pentecostario hac die ita ajentes: *Primum resurrectio Dei Matri manifestatur*. Hoc mysterium egregie observavit idem Rupertus ejusdem libri cap. XXV. „ Quid, inquit, Euangelicæ fidei convenientius Christiana sedulitas comminisci potuit? quid pulchrius, quid venerabilius, quam congratulari Matri Virgini super resurrectione Unigeniti jam non morituri, in cujus passione gladius animam ejus pertransivit? Perpendere gestit christiana devotio, quantus torrens gaudii repente inundans, locumque vulneris replens animam ejus ferro doloris confossam inebriavit, cum redivivus filius illi, ante omnes fortasse mortales, materno Virginem non defrau-

defraudans honore victoriam ſuam annuntiavit, & dulcia carnis ſuæ vulnera, quam illa veram de carne ſua carnem conceptam peperit, deoſculanda præbuit. Quid ergo? repugnare videbitur Euangelio referenti, quod ſurgens ergo Jeſus primo Mariæ Magdalenæ apparuit? Abſit. Sed omnibus Beatam Virginem Matrem excipimus teſtibus præordinatis, quos ſolos nominare ad Euangeliſtas pertinuit, vel quos Chriſti reſurrectionem annuntiare decuit. Numquid illam nuntiare decebat, ut verba ejus tamquam deliramenta viderentur ante Apoſtolos? Si enim extranearum verba fœminarum viſa ſunt eis tamquam deliramenta, quomodo non magis Matrem amore filii delirare, crederent? Veriſſime ergo Matri filius reſurgens apparuit: ſed illa ut ab initio cœperat, ita & nunc conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Quod ſi iccirco verum non videtur, quia nullus Euangeliſtarum ſcriptis hoc atteſtatur, conſequens eſt quod numquam poſt reſurrectionem ſuam viſus ſit Matri, quia quando vel ubi apparuerit illi, nullus eorum nominatim edixit. Sed abſit hoc ab illo, qui in lege ſua Patrem, & Matrem honorare præcepit: abſit inquam, ut Matrem propter ſe doloris gladio tranſverberatam, tam dura negligentia talis filius inhonoraverit. *Et paullo inferius*. Igitur pulchre, & laudabiliter traditum eſt a noſtris majoribus, ut in hodierna, cunctiſque per annum proceſſionibus B. Dei Genitricis memoriam prima ſtatione viſitemus eandem ob cauſſam, quia in hodiernæ Miſſæ officio Statio ad S. Mariam præſcribitur, ut eam principio lætitiæ noſtræ proponamus. Hæc ille, quibus ſimilia ſcribit Durandus lib. IV. *Rationalis Divinorum officiorum.* cap. VI.

Sed ut eo inſuper unde digreſſi ſumus revertamur, Euangelium in hac Proceſſione deferebatur, tum ut Chriſtum Dominum Servatorem noſtrum repræſentaret, tum etiam

etiam quia in ſtatione legi debebat a Diacono Regionario; ut liquet ex codice Bibliothecæ Vaticanæ relato a Cardinale Franciſco Maria Brancatio in diſſertatione *De Optione ſex Epiſcopatuum* pag. LX. his verbis: *Eſt munus Diaconorum Regionariorum cantare Euangelium in Stationibus. Palatini cantant Euangelium in Eccleſia Lateranenſi*. Apud Græcos vero alius quoque die Paſchatis erat uſus divini codicis, quippe quem in ſalutatione per fraternum oſculum adhibebant. Nam ut ex Pentecoſtario ſcribit doctiſſimus Eveillon: *Accipit Sacerdos Sanctum Euangelium, & ſtat ante fores Sacrarii. Tum accedit Præpoſitus, & oſculato primum Euangelio, deinde ipſo Sacerdote, de ejus manu accipit Euangelium, & ſtat, illud tenens ad ejuſdem dexteram. Tum cæteri ordine accedentes, ſinguli oſculantur primum Euangelium, deinde Sacerdotem, & Præpoſitum: ac poſtremo omnes ſibi invicem fraternæ charitatis oſculum impertiunt*. Apud Codinum libro *De official. Aulæ Conſtantinopolit.* cap. XIV. in Proceſſione Paſchali Imperator lampadem geſtat, proceres vero aulici cereos ardentes: & matutinis laudibus peractis, Protopapa, & Archidiacono in veſtibulo ſacrarii ſtantibus, altero Euangelium, altero Crucem portante, idem Imperator accedens oſculatur primo Euangelium, deinde Protopapam, poſtea Crucem, & Archidiaconum.

Mos hic inter Chriſtianos ab ipſis viguit Eccleſiæ primordiis, ut ad indicandum ſincerum charitatis affectum oſculis mutuis, ſeu advenientes, ſive orantes, ſive communicantes, ſive alia myſteria celebrantes, alii alios conſalutarent, dicendo: *Pax tibi*, ſeu *Pax vobis*. Teſtatur id quidem in primis Origenes his verbis: *Ex ſermone Pauli, ſcilicet cum dicit*: Salutate vos invicem oſculo ſancto: *Mos in Eccleſia traditus eſt, ut poſt orationes oſculo ſe invicem ſuſcipiant fratres*; *Hoc autem oſculum ſan-*

ſanctum appellat Apoſtolus: quo nomine illud docet primum, ut caſta ſint oſcula, quæ in Eccleſiis dantur; deinde ut ſimulata non ſint, ſicut fuerunt Judæ. Oſculum vero fidele primo caſtum ſit, deinde pacem in ſe, ſimplicitatemque habeat in charitate non ficta. S. Auguſtinus ſermone CXXXIII. de diverſis (qui eſt in die Paſchæ) alloquens pueros pridie baptizatos: *Ecce ubi eſt peracta ſanctificatio, dicimus Orationem Dominicam, quam accepiſtis, & reddidiſtis. Poſt ipſam dicitur,* Pax vobiſcum: *& oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis, ſi quod oſtendunt labia, fiat in conſcientia, ideſt quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, ſic cor tuum a corde ejus non recedat.* Has ac alias complures Sanctorum Patrum auctoritates congerit magnus Annalium Parens Cæſar Cardinalis Baronius ad annum Chriſti quadrageſimum quintum. Fuit igitur, cum charitas fervebat, oſculum inter Chriſtianos commune ſymbolum, & pignus mutuæ dilectionis, & pacis: ſed præcipue in feſto Paſchæ, quo erat communicandum Corpori, & Sanguini Domini Jeſu Chriſti, qui eſt pax noſtra: ut odiis & ſimultatibus poſitis, animi invicem reconciliarentur; & ut loquitur S. Auguſtinus, corde ad cor accedente, omnes unum fierent corpus, qui omnes de uno pane, & de uno calice erant participaturi.

Nec vero quis putet hæc ita promiſcue tunc agi ſolita eſſe, ut viri, & fœminæ ſic indiſtincti ſe mutuo oſcularentur. Nam (ut alibi diximus) in Eccleſia ſeorſim viros a mulieribus agere conſueviſſe, certiſſimum eſt. Verum quoniam, ea nihilominus adhibita cautela, adhuc inter ſe invicem oſculantes, ſive viros, ſive fœminas aliqua fraus arte diaboli nonnumquam irrepſiſſe videretur, in pluribus Eccleſiis oſculi ſancti uſus in oſſculum tabellæ, Cruce aut ſacra Imagine inſignitæ, honeſte, ac laudabiliter mutatus eſt.

De

De ritu recitandi Euangelium in Litaniis; alicubi ad præcipuas Civitatis Portas.

CAPUT VI.

NOtandum, ait Walafridus Strabo, de rebus Ecclesiasticis cap. XXVIII. *litanias non tantum dici illam recitationem nominum, qua Sancti in adjutorium vocantur, sed etiam cuncta, quæ in supplicationibus fiunt.* Litaniam, quæ definiri potest pia Cleri, vel Christiani populi precabundi cum certo ritu, ac cæremonia progressio, Scriptores Ecclesiastici passim in Majorem, ac Minorem dividunt. Major illâ dicitur, quæ instituitur VII. Kalendas Maji in festo S. Marci Euangelistæ: cujus Auctor fuit S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus, teste Ruperto Abbate Tuitiensi libro VIII. *De divinis officiis* cap. v. Beda, & Adone in Martyrologio, imo S. Gregorius ipse lib. VII. Epistolarum appellat *Majorem*, & libro XI. *Septiformem*. Caussam hujus Litaniæ S. Gregorio dedit horrenda lues, quam narrat Paulus Diaconus libro III. *De gestis Longobardorum*, & Gregorius Turonensis libro X. Historiæ Francorum. *Anno*, inquiens, *quintodecimo Childerici Regis, Diaconus noster ab Urbe Roma Sanctorum cum pignoribus veniens sic retulit, quod anno superiore, mense nono, tanta inundatione Tyberis fluvius Urbem Romam obtexerit, ut ædes antiquæ diruerentur, horrea etiam Ecclesiæ sint, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere. Multitudo etiam serpentum cum magno dracone in modum trabis validæ, per hujus fluvii alveum in mare descendit. Sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus, littori ejectæ sunt. Subsecuta est e vestigio clades, quam inguinariam vocant; nam medio mense XI. adveniens primum omnium juxta illud quod in Ezechiele Propheta legitur*: A sanctuario

rio meo incipite, *Pelagium Papam perculit: quo defuncto magna ſtrages populi de hoc morbo facta eſt.* Tantis malis ut occurreret ejus ſucceſſor S. Gregorius Magnus, anno DLXXXX. indixit memoratam litaniam ſeu proceſsionem, quæ *Major* eſt dicta, quod omnes totius anni ſupplicationes, & viæ longitudine, & precum prolixitate, & populi concurſu ſuperabat. Conſtabat enim ſeptem diverſis procedentium e diverſis locis hominum claſſibus; unde & *Septiformis* dicta eſt. Sermonem eo die a S. Gregorio habitum habes apud Gregorium Turonenſem loco citato, & ipſum noſtrum Gregorium lib. XI. *Epiſtolarum* cap. II. Accidit tunc teſte eodem Turonenſi, *unius horæ ſpatio dum voces plebs ad Dominum ſupplicationis emiſit, octoginta homines ad terram corruiſſe, & ſpiritum exhalaſſe. Sed non deſtitit*, inquit, *Sacerdos tantus prædicare populo ne ab oratione ceſſarent.*

Minor litania appellatur, quæ triduo ante feſtum Aſcenſionis (qui dies jam dicuntur *Rogationum*) celebratur; cujus primus Auctor fertur S. Mamertus Viennenſis in Galliis Epiſcopus, anno circiter CCCCLII. ſed ut recte obſervat Cardinalis Baronius. *In Notis ad Romanum Martyrologium*, ad diem XXV. Aprilis S. Mamertus, reſtituit potius, & in meliorem formam reduxit ſacras Rogationes. Enimvero ſatis id liquet ex Sidonio Appollinare Epiſcopo Arvernenſi, qui epiſtola ad Aprum XIV. lib. V. hæc inter alia de priſtina litaniarum obſervatione, jam negligentia torpeſcente, ſcribit. *Erant quidem prius (quod ſalvafidei pace dictum ſit) vagæ, tepentes, infrequenteſque, & (ut ſic dixerim) oſcitabundæ ſupplicationes, quæ ſemper interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur: ad quas, ut nihil amplius dicam, figulo pariter, & hortulano non oportuit convenire. In his autem quas ſuprafatus* (Mamertus) *Summus Sacerdos, & protulit pariter, & con-*

 tulit,

tulit, *jejunatur*, *oratur*, *psallitur*, *& fletur &c.* Ex his quidem Sidonii verbis luculenter apparet quod monet Baronius, S. Mamertum Epiſcopum non tam inſtituiſſe, quam reſtituiſſe, & in meliorem formam ſacras Rogationes reduxiſſe. Sane quidem S. Auguſtinus, qui tempore præceſſit S. Mamertum de eiſdem Rogationibus, quæ celebritatem Aſcenſionis Dominicæ præcedunt, non obſcure meminit *Sermone* CLXXIII. de tempore in Vigilia Aſcenſionis tomo X. editionis Lovanienſis. Extat de Rogationibus Canon XXIX. Concilii Aurelianenſis I. anno. Reliqua videri poſſunt apud eos qui ſcripſerunt *De divinis officiis*.

Ritus in hiſce ſupplicationibus obſervandi præſcripti ſunt in Rituali Romano, quod notis nuper illuſtravit Vir clariſſimus Hieronymus Baruffaldus. Verum præter conſuetas preces, in pleriſque Italiæ locis, Euangelia etiam tum intra, tum extra Civitatem recitari ſolent, illa ſcilicet ipſa, quæ in Miſſis Rogationum pronuntiantur. Proceſſionale vero Ambroſianum in Litaniis Rogationum, agens de tribus ipſarum diebus inter alia hæc habet „Sequuntur duodecim Stationes, in quibus ſingulis cantatur litania cum oratione, lectione ex veteri Teſtamento, Ꝛ. & lectione ex Euangelio. Procedendo ab una ſtatione ad aliam concinuntur Antiphonæ, & Pſalmi. Poſt tertiam Stationem cantantur Prima, & Tertia, poſt ſextam Stationem ſexta, poſt ſeptimam Nona. In octava vero Statione poſt recitatam S. Euangelii lectionem, canitur ab hebdomadario Canonico Metropolitanæ Eccleſiæ Miſſa ſolemniter; & habetur poſt Euangelium ſermo ab Archiepiſcopo de pœnitentia, aut alio de genere, pro ratione temporum, & datur indulgentia. Poſt reditum proceſſionis in Metropolitana Eccleſia cantantur veſperæ. Secundo die fiunt decem ſtationes: Poſt primam cantatur Prima, poſt ſecundam Tertia, poſt quartam Sexta, poſt quintam No-

Nona. In Eccleſia ſeptima, quæ eſt S. Nazarii, Diaconus ante lectionem Euangelii elata voce ait: *Parcite fabulis*. Cuſtos etiam: *Silentium habete*. Alter vero reſpondit: *Habete ſilentium*, tum legitur Euangelium ex Luca. In octava Statione Miſſa celebratur, concioque habetur. In reditu veſperæ. In tertia vero ſtatione neque litania, neque lectiones recitantur. Die tertio per Eccleſias undecim ſtationes totidem inſtituuntur, poſt primam dicitur Prima uſque ad ſymbolum S. Athanaſii, poſt tertiam Tertia, & Sexta, poſt quartam Nona. In quinta quæ eſt ad S. Laurentium Diaconus dicit: *Parcite fabulis*. Reliqua ut ſupra, in eaque Miſſa celebratur. Hactenus proceſſionale Ambroſianum. Ritum autem quam maxime venerandum viguiſſe olim in Urbe Florentiæ, recitandi ſcilicet in ſacra proceſſione quatuor Euangeliorum lectiones ad totidem præcipuas ejus inclytæ Civitatis portas liquet ex quodam pervetuſto Codice Euangeliorum ms. ante annos, ut creditur, DCC. qui Romæ in egregia nobiliſſimæ Barberinæ Gentis Bibliotheca aſſervatur num. MDCCCLXII. quemque nobis demonſtravit vir clariſſimus, literarum bono natus Pompeus Abbas Compagnonus Patritius Maceratenſis.

De ritu legendi Euangelium ad Aquæ benedictionem, quæ fit in pervigilio Epiphaniæ.

CAPUT VII.

RItum hunc Eccleſiæ antiquiſſimum alicubi obſoletum revocavit Religioſiſſimus Pontifex Maximus Benedictus XIII. quemadmodum & alios complures, qui penitus negligebantur, licet Romano Rituali præſcripti eſſent. Sane cum ea ſit utriuſque Eccleſiæ Græcæ

ac Latinæ consensio Christum Dominum die Epiphaniæ fuisse baptizatum, ut patet ex hymnis, aliisque, quæ ad divina ejus diei officia recitamus, mirum videri non debet, si in memoriam Christi baptismatis celebrari hac die sacris cæremoniis solemnis Aquæ benedictio consuevit, qua non solum homines in Ecclesia, eorumque domus a Sacerdotibus, faustis precationibus aspergantur, sed pleni etiam calices religiosissime ab omnibus asportantur. Meminit ejus ritus noster Lucas Archiepiscopus Consentinus, qui floruit ineunte Sæculo XIII. anno MCCII. illumque in libro, quem Ordinarium inscripsit, quique asservatur in Romano Cœnobio S. Isidori, confirmat his verbis. *Completis Laudibus, & pronunciato ex more martyrologio, mox Dominus, vel Sacerdos, qui laudes celebravit faciat solitum exorcismum salis, & aquæ, & circumstantes aspergat cum fasciculo hyssopi: Capellani quoque Civitatis aspergant inde fideles omnes die ipsa tam in Ecclesia, quam ubicumque possunt, in memoriam baptismi Dominici.* At vero quam sit vetustus ejusmodi ritus mirifice docet S. Joannes Chrysostomus, homilia *De Baptismo Christi*, testisque est egregius illius miraculi quo Aqua multis annis incorrupta permanebat. *In hac*, inquit, *solemnitate sub mediam noctem cum omnes aquam acceperint, domum calices referunt, & recondunt, & per integrum annum conservant, utpote quod hodierna die sanctificatæ sint aquæ; fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, sed integro anno, atque adeo biennio, & triennio sæpe quæ hodie fuit hausta, incorrupta, & recens permanet, ac post tantum temporis cum iis, quæ nuper fuerint fontibus eductæ certat.* Porro qui ad Jordanem olim habitabant populi in memoriam, & honorem Jesu Christi baptismatis, qui in eo hac die a Joanne tinctus est, in eundem fluvium descendere,

dere, ac ſe ſe abluere ſolebant. *Cum dies ſanctus Epiphaniarum adveniſſet*, inquit Gregorius Turonenſis lib. I. De Gloria Martyrum cap. LXXXVII. *& omnes in Jordanem deſcenderent abluere tam vulnera corporis, quam animæ cicatrices*. Neque id in ſolo Jordane fieri conſueverat, ſed pluribus aliis in locis orientales populi fluvios, fonteſve benedicebant, atque in eos ſeſe immergebant, quaſi proprium renovaturi, ſive Chriſti imitaturi baptiſmum: id quod apud pleroſque ad hanc uſque diem perſeverare, ex quibuſdam illarum partium relationibus docet Martene De antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis officiis celebrandis cap. XIV. num. II.

Aliud perinſigne miraculum refert S. Epiphanius, hæreſi LI. quod hac ipſa die ſuo tempore in pluribus Orbis locis contingere ſolebat, aquæ ſcilicet mutatæ in vinum. *Quapropter*, inquit, *etiam, in multis locis uſque in hunc diem hoc fit, quod tunc factum eſt divinum ſignum in teſtimonium incredulis, veluti teſtantur in multis locis fontes ac fluvii in vinum converſi: hujuſmodi ad Cibyram Cariæ Oppidum fons eſt, qui eadem illa hora qua miniſtri aquam hauſerunt ac Salvator dixit*, Date Architriclino, *in vinum vertitur; idem & in Geraſeno Arabiæ fonte contigit. Nos in Cibyræ illo fonte potavimus; fratres noſtri ex Geraſeno, qui eſt in Martyrum Templo: plerique vero idem & de Nilo Ægypti fluvio confirmant: quare in undecima Tybi ideſt die* VI. *Januarii apud Ægyptios omnes hauriunt aquam, & reponunt, tum in ipſa Ægypto tum in multis regionibus*. Hæc Epiphanius. Simile prodigium in Andro una ex Cycladum inſulis nedum a recentioribus ſcriptoribus narratur, quod ſcilicet ſit ibi fons qui hac die Epiphaniæ vini ſaporem acquirit, ſed & Plinius etiam ſimilis rei egregius videtur aſſertor, licet unius tantum diei ſpatio diſcrepet a prædictis; dum ait *Mutiano ter Conſule Auctore in Andro Inſula No-*

Nonis Januarii fontem aquæ vini saporem habentem fluere consueviſſe. Quare non immerito nonnullæ idem Eccleſiæ triplex in feſto Epiphaniæ Euangelium decantabant, in trium Chriſti apparitionum, totidemque prodigiorum memoriam. Imo quod ad rem attinet noſtram, in veteri Rituali Burdigalenſi habetur benedictio aquæ in vigilia Epiphaniæ, in qua tria leguntur Euangelia.

In compluribus Regni Neapolitani locis, præſertim noſtræ Calabriæ ad ſolemnem aquarum benedictionem, quæ in Epiphania quotannis celebratur, præter exorciſmos, ac pias quaſdam precationes bina Euangelia pronuntiantur. Primum ex S. Joanne cap. VII. *In illo tempore. In noviſſimo autem die magno feſtivitatis ſtabat Jeſus, & clamabat dicens, ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Alterum Euangelium deſumitur ex eo quod eſt ſecundum Lucam cap. III. *Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato, & orante apertum eſt Cœlum &c.* uſque ad illa verba: *Jeſus autem plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt a Jordane*. Memorat ipſa hæc Euangelia vetus Eccleſiæ Neritonenſis ritus ſolemnis aquarum benedictionis die Epiphaniæ Domini in Cathedrali Templo a Protopapa, & Sacerdotibus Græcis peractæ, editus, ac præſtantiſſimis notis illuſtratus a Viro clariſſimo Sebaſtiano Pauli Congregationis Matris Dei, qui hoc anno Quadrageſimæ tempore, ſummo doctorum virorum plauſu, in S. Laurentii Baſilica, dicta in Damaſo concionatur. Eadem Euangelia in Pontificali ritu cernere licet, quem Benedictus XIII. Pont. Max. anno MDCCXXVII. edidit; ubi iis etiam, qui in pervigilio Epiphaniæ ſolemni Aquæ benedictioni devote interfuerint centum Indulgentiæ dies perpetuo eſt elargitus.

Euan-

Euangelium in aris campani benedictione lectum.

CAPUT VIII.

VEtus eſt Eccleſiæ ritus campanas conſecrandi, quem nonnulli auctores a Summo Pontifice Joanne XIII. ſive ut alii dicunt XIV. originem duxiſſe autumant; ſed multo antiquiorem ex ritualibus libris, antememoratum Pontificem conſcriptis, in quibus formula benedicendi campanas reperitur, vir doctiſſimus Angelus Rocca teſtatur commentario *De Campanis* cap. v. quem deinde ſequuti ſunt Joannes Bona Cardinalis, rerum liturgicarum libro I. cap. XXII. Franciſcus Pagi Breviario Romanorum Pontificum ſæculi x. in Joanne XIII. Edmundus Martene, ac cæteri recentiores eruditi. Sane in capitulari Caroli Magni, ducentis fere annis ante Joannem jubetur, *Ut Cloccæ* (ideſt campanæ) *non baptizentur*. In ordine Romano apud Hittorpium, omnium judicio antiquiſſimo tota forma benedicendi, ſeu conſecrandi campanas præſcripta legitur. Edmundus Martene libro II. *De antiquis Eccleſiæ ritibus* capite XXI. aſſerit antiquos Codices manuſcriptos, & Egeberti præſertim Pontificale, & Gellonenſe Caroli Magni tempore exaratum referre ritus, & preces benedictionis, ſed nullos veteres codices ritualium teſtari nomen alicujus Sancti campanis benedictis impoſitum fuiſſe; verum Auctor vetuſtus nomine Alcuini de hoc ritu ita inquit: *Neque novum videri debet campanas benedicere, & ungere, eiſque nomen imponere*. Magnus annalium parens Baronius utriuſque meminit ritus, quum campanam Baſilicæ Lateranenſis primariam a Joanne XIII. ſub nomine S. Joannis Baptiſtæ benedictam aut conſecratam fuiſ-

fuiſſe ſcribit tomo x. ad annum DCCCCXVIII. his verbis. Joannes Pontifex Romam (e Capua ſcilicet) rediens, cum Imperator ibi (hoc eſt Capuæ) adhuc moraretur, contigit primariam Lateranenſis Eccleſiæ campanam miræ magnitudinis recens ære fuſam ſuper campanile elevari; quam prius idem Pontifex ſacris ritibus Deo conſecravit, atque Joannis nomine (puto Baptiſtæ) cujus Eccleſiæ eſſet uſui, nuncupavit. Qui ſacer ritus in Eccleſia perſeveravit, ut eo modo quo ipſe uſus eſt, campanæ in Eccleſiis collocandæ, Deo primum impoſito eis nomine dicarentur. Quod teſtantur veteres Codices rituales. Ita Baronius, cujus poſtrema verba perperam Pagius ſugillavit, auctoritate Edmundi Martene ajentis veteres ritualium libros nullam impoſiti campanæ nominis facere mentionem, quaſi is ſcriptor alias eruditus cunctos Urbis, & Orbis ejuſmodi Codices perlegerit.

Hæretici vero Magdeburgenſes centuria x. capite VI. columna CCLXXXXIV. inter alia probra, quibus Romanos Pontifices afficiunt, Joannem XIII. horrendi erroris, & ſacrilegii accuſant; quippe qui contra Chriſti inſtitutionem cœperit baptizare campanas; quod etiam frequenter alii hæretici nobis objiciunt. Mirum equidem eſt, cur non etiam dicant campanas a nobis antea catechizari, & inſtrui, ut poſſint fidei ſymbolum reſonare. Sed quid quæſo ipſi reprehendunt ipſam rem, an vero nomen baptiſmi æris campani? Si rem, aperte decipiuntur, vel mentiuntur, (inquit Eminentiſſimus Bellarminus libro IV. *De Summo Pontifice* cap. XIII. num. XIX.) Non enim campanæ revera baptizantur, ſed ſolum benedicuntur, & cultui divino, eo modo quo templa, altaria, calices, & alia ſacra vaſa, conſecrantur, ut patet ex Pontificali Romano, ubi habetur benedictio campanæ, & nulla fit mentio uſquam baptiſmi;

ptiſmi; neque dicitur, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ſed ſolum funduntur preces ad Deum, ut in aliis benedictionibus. Si nomen reprehendunt, ſciant baptiſmi nomen non a Pontificibus, ſed a vulgo, & quidem metaphorice accommodatum campanarum benedictioni; quia nimirum vident campanas aqua benedicta aſpergi, & eis nomina interdum imponi, ut diſtinguantur aliæ ab aliis; imo in Hiſpaniis dum campanæ conſecrantur, vel ut improprie ajunt baptizantur, vir, & mulier ex hominibus loci primariis tamquam compatres admittuntur; quamobrem codex ritualis proprius adhibetur, in quo præter alia, quæ in Pontificali Romano extant, compatres etiam commemorantur.

At vero ut ritum a Romano Pontificali præſcriptum proſequamur, campana antequam in turrim campanariam ut dicunt collocetur, conſecrari ſolet hoc modo. Prius enim tota intus, & extra cum aqua benedicta ab Epiſcopo una cum miniſtris lavatur, deinde mundo linteo extergitur, interim aliquot Pſalmi recitantur; Quibus finitis Epiſcopus cum pollice dexteræ manus, de oleo ſancto infirmorum ſignum Crucis facit extra, & ſupra campanam. Deinde oratione ad ipſam pertinente recitata; cum linteo mundo ſignum Crucis factum ab ipſo Epiſcopo extergitur; & Antiphona cum Pſalmo item pronuntiata, Epiſcopus cum pollice dexteræ manus, de oleo ſancto infirmorum ſeptem facit Cruces exterius ſuper campanam, intus vero cum chriſmate quatuor ſic dicens: *Sancti ✝ ficetur, & conſe ✝ cretur, Domine, ſignum iſtud, In nomine Pa ✝ tris, & Fi ✝ lii, & Spiritus ✝ Sancti. In honorem Sancti N. Pax tibi.* His peractis, atque oratione pro effectibus campanæ conſecratæ mirabilibus impetrandis recitata; nec non thymiamate, thure, ac myrrha thuribulo impoſitis; thuribu-

lum ipſum igne accenſum, fumigans ipſi campanæ ſupponitur, ut ea totum illum recipiat fumum; Interim Antiphona cantatur cum Pſalmo, in quo Dei mirabilia enarrantur; Ipſoque abſoluto Epiſcopus orationem dicit, in qua precatur Deum, ut ad ſonum campanæ Chriſtifideles ſalutares conſequantur effectus. Demum vero Diaconus ſacris indutus veſtibus albi coloris Euangelium pronuntiat ex illo, quod eſt ſecundum Lucam: *Intravit Jeſus in quoddam Caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam; & huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Et reliqua uſque ad illa verba: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Cur autem hoc potius Euangelium legatur, quam aliud? Quoniam id à nemine dictum invenio, hanc meam qualemcumque conjecturam in medium proferre operæ pretium duxi. Cum ergo, ut ait Concilium Provinciale Colonienſe anni MDXXXVI. parte IX. cap. XIV. *Campanæ ſint tubæ Eccleſiæ militantis, quibus vocetur populus ad conveniendum in Templum, & audiendum Verbum Dei; Clerus vero ad annuntiandum mane miſericordiam Dei, & veritatem ejus per noctem, ut per illarum ſonitum fideles invitentur ad preces, & creſcat in his devotio fidei*; non incongruum videtur, memoratum in conſecratione æris campani legi Euangelium; ibi enim præcipue de verbo Dei audiendo, atque aliis ad animæ ſalutem ſpectantibus, ad quæ nos campana ſonitu ſuo invitat, expreſſa fit mentio. Pleraſque item cauſſas, atque effectus ejuſmodi conſecrationis hunc in modum memorati Colonienſis Concilii Patres proſequuntur videlicet: ut Dæmones tinnitu campanarum Chriſtianos ad preces concitantium, terreantur; quin potius precibus ipſi territi, abſcedant; illiſque ſummotis fruges, mentes, & corpora cre-

credentium ſerventur: ut procul pellantur hoſtiles exercitus, & omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum, & fulgurum temperentur infeſta tonitrua, & ventorum flamina ſuſpendantur, ſpiritus procellarum, & aereæ poteſtates proſternantur: breviter ut audientes fugiant ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium, & ante S. Crucis vexillum, cui flectitur omne genu; quemadmodum hæc in ſolemni benedictione campanæ reperies. Hæc ad verbum ex laudato Concilio Colonienſi; quæ item omnia in Ordine Romano; atque etiam in Pontificali pariter Romano, in ipſa campanæ benedictione ſive conſecratione leguntur. Plura de origine campanarum, uſu, effectibus, ac aliis ſcitu dignis ediſſerit Angelus Rocca doctiſſimo commentario *De campanis*.

Illud ego minime prætermittam, quod etiam tradit præfatus Auctor, pulſare campanas, quod hodie paſſim laici ac viliores homines uſurpant, pertinuiſſe olim ad Sacerdotes. Amalarius Fortunat. lib. III. *De Eccleſiaſt. offic.* cap. I. poſtquam ſacras campanas originem a tubis veteris Teſtamenti traxiſſe dixiſſet, illaſque ora prædicatorum novi Teſtamenti ſignificare docuiſſet, ſtatim ſubdit: *Ne deſpiciat Presbyter hoc opus agere, ut in ipſo ſit imitator filiorum Aaron*. Sane præcepit olim Deus, ut filii Aaron Sacerdotes tubis clangerent ad convocandam multitudinem. Quem ritum ad novi Teſtamenti Sacerdotes tranſiſſe, atque in Eccleſia diu perduraſſe conſtat etiam ex Capitulari Caroli Magni lib. VI. cap. CLXVIII. ubi ſtatuitur ut Sacerdotes ſigna tangant horis canonicis. Idcirco Ordo Romanus, & antiqua Ritualia, itemque Concilium IV. Carthaginenſe materiam Oſtiariatus in ſola clavium traditione conſtituunt, nulla habita mentione pulſationis campanæ, quia hoc ad ejus officium non pertinebat. *Neque ſine ratione* (inquit Eruditiſſimus

Cardinalis Bona libro I. Rerum liturgicarum capite XXII.) *Majores noſtri decreverunt a Deo ſacratis viris ſigna tangi, quia & ſacra res eſt fidelem populum ad divinum officium, ad Miſſam, ad communionem, ad audiendum verbum Dei coadunare: & ipſæ campanæ Epiſcopali benedictione, ſanctique olei unctione conſecratæ ſunt, & inter ſacra Eccleſiæ vaſa connumerantur.* Hodie officium Oſtiarii eſt campanas pulſare, quem decet ſuperpelliceo indutum eſſe, dum ſigna pulſat, quia munus ſui ordinis exercet. *Eos vero* (verba ſunt Stephani Duranti lib. I. De Eccleſiæ ritibus cap. XXXI.) *qui campanas pulſant congruit ſuperpelliceis indui.* Hanc autem congruentiam ex Concilio item Colonienſi deſumptam eſſe innuit. Quæ profecto cum ita ſeſe habeant, campanæ nullo modo a laicis, nec ſine ſuperpelliceo ab Eccleſiaſticis viris pulſari debent; ut recte docet numquam ſatis laudatus Angelus Rocca commentario *De campanis* cap. XIII.

Euangelii uſus in exorciſmis ad Dæmones ab Energumenis expellendos.

CAPUT IX.

QUemadmodum vetus Judæorum populus certam, & præſcriptam formam habuit expellendi Dæmones e corporibus hominum, iique qui id officii obibant exorciſtæ nuncupabantur, ut habetur Actorum cap. XIX. ita Redemptor noſter Chriſtus Dominus in novo Teſtamento Apoſtolis, & Diſcipulis poteſtatem liberandi energumenos a maligno ſpiritu elargitus eſt. Modus, & forma conſtituendi exorciſtas in IV. Carthaginenſi Concilio circa annum CCCLXXXXVIII. Can. VII. ita præſcribitur: *Exorciſta cum ordinatur accipit de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi*

ſibi Epiſcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſive baptizatum, ſive catechumenum. Exorciſmus, ut refert Iſidorus Hiſpalenſis libro II. *De Eccleſiaſticis officiis* cap. xx. *eſt ſermo increpationis contra immundum ſpiritum, in Energumenis ſive catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequiſſima virtus, & inveterata malitia, vel violenta incurſio expulſa fugetur; quod ſignificabat lunaticus ille, quem increpavit Dominus Jeſus, & exiit ab illo Dæmonium.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus in præfatione ſuarum catecheſeon exorciſmos ſalutares, & divinos vocat, atque e ſacrarum literarum fontibus emanaſſe aſſerit. Et ſane Joſephus ait lib. VIII. *Antiquitatum*, Deum communicaſſe Salomoni exorciſmos; quorum librum ad ſua uſque tempora conſervatum fuiſſe teſtatur Origenes in Matthæum cap. XXXVI. Tertullianus *De corona militis* cap. XI. & *De ſpectaculis* cap. XXVI. oſtendit exorciſmis a primitivæ Eccleſiæ Chriſtianis pronuntiatis Dæmones fuiſſe fugatos. S. Cyprianus epiſtola ad Demetrianum ait voce humana per exorciſtas, & poteſtate divina flagellari, uri, & torqueri Diabolum. Verba quæ in exorciſmis adhibebantur edicit Prudentius in *Apotheoſi contra Judæos* his verſibus.

Intonat Antiſtes Domini: fuge callide ſerpens;
Exue te membris, & ſpiras ſolve latentes.
Mancipium Chriſti fur corruptiſſime vexas;
Deſine, Chriſtus adeſt humani corporis ultor.
Non licet ut ſpolium rapias, cui Chriſtus inhæſit.
Pulſus abi ventoſe liquor, Chriſtus jubet, exi.

Placuit egregias tot Patrum, qui fuere Eccleſiæ lumina, proferre ſententias; quibus cæca Joannis Calvini impudentia refelli queat ita garrientis lib. IV. Inſtitutionum, cap. XIX. *Exorciſtas vero in quem tandem finem conſecrant? Audio Judæis ſuos fuiſſe exorciſtas;*

ſed

ſed ab exorciſmis dictos video, quos exercebant. De ementitis iſtis exorciſtis quis unquam fando audivit, quod ſpecimen unum ſuæ profeſſionis ediderint? Fingitur iſtis poteſtas data imponendi manus ſuper energumenos, & catechumenos, & dæmoniacos; ſed ipſi ſe poteſtate præditos dæmonibus perſuadere non poſſunt. Iſthæc Calvini eſt blaſphemia; ſed quid denotant S. Cypriani verba loco allegato? *Voce*, inquit, *humana per exorciſtas, & poteſtate divina flagellatur, uritur, & torquetur Diabolus.*

Quod vero ad ritum attinet legendi in exorciſmis Euangelium Energumeno; res eſt antiquiſſima, atque laudabilis; nam ut recte notat Gulielmus Durandus in ſuo *Rationali* lib. IV. cap. XXIV. num. XXI. *Contra Diabolum legitur Euangelium, ut illum ſua virtute expellat; quoniam diabolus nihil tantum odit, quantum Euangelium.* Quocirca Rituale Romanum Titulo *De exorcizandis obſeſſis a Dæmonio* ſapienter præſcripſit, ut hæc Euangelia, unum ſcilicet vel alterum energumeno legerentur. Primum eſt S. Joannis. *In principio erat Verbum &c.* Quod Dei ineffabilem eſſentiam, ejuſque miram incarnationem oſtendit. Secundum eſt S. Marci narrantis ſigna credentium, inter quæ illud eſt, quod in Nomine Jeſu dæmonia ejicient. Tertium eſt S. Lucæ, & continet poteſtatem datam Apoſtolis calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones. Quartum pariter eſt S. Lucæ qui hiſtoriam narrat dæmonii muti a Chriſto ejecti: Mirabiles hujus ritus effectus paſſim leguntur apud Surium, atque Bollandianos in vitis Sanctorum, qui ſola Euangelii lectione ſæpenumero e corporibus hominum dæmones expulerunt.

Hector Boethius Scotorum res deſcribens libro VIII. teſtatur in Marrea regione ſe ab iis qui conſpexerant accepiſſe, quod ejus verbis adſcribam: Puella natalibus altis, forma conſpicua, complurium nobilium aver-

averſata connubium, in infandam cum cacodæmone incidit conſuetudinem; quæ cum uterum ferret, parentum rigore coacta edere ſtupratorem, adoleſcentem mira pulchritudine, frequentius ſecum noctu, interdiu nonnumquam conveniſſe: unde veniſſet, quove abiiſſet neſcire ſe reſpondit. Parentes tametſi filiæ parum crederent, accuratius rem advertentes, conſilio quis eſſet qui gnatæ expugnaſſet pudicitiam explorandi: cognito tertio poſt die, indice ancilla ſtupratorem adeſſe, recluſis foribus, accenſo tædarum ingenti numero cubiculum ingreſſi, horrendum monſtrum figura ſupra humanam exiſtimationem terribili in filiæ amplexibus ſunt conſpicati. Cucurrere ocyus complures ad fœdum excitati ſpectaculum. Inter eos Sacerdos probatæ vitæ, ſacræ diſciplinæ non ignarus, cæteris aut trepide abeuntibus, aut pavore terræ illiſis, cum Chriſti Apoſtoli Joannis Euangelii initium recitare orſus, ad eum locum, *Verbum caro factum eſt* perduxiſſet; malus Dæmon horrendo ſublato clamore, cubiculi tectum ſecum adſportans, omni ſupellectili incenſa abiit. Fœmina periculo ſervata, enixa eſt monſtrum undequaque fœdum aſpectu, quale nuſquam antea, ut ferunt, inter noſtrates viſum. Id obſtetrices, ne obſervatum contumeliæ eſſet familiæ, accenſa ingenti pyra citiſſime concremarunt.

In Conciliis tum Generalibus, tum particularibus Sacri Euangelii codex in præcipuo, atque honorificentiſſimo collocatus Throno.

CAPUT X.

QUoniam Eccleſiæ Patribus perſuaſum ſemper fuit Sacris Conciliis Chriſtum præeſſe, ideo in ejus rei argumentum in auguſtiori loco ſupra Patrum ſub-

ſubſellia Euangelium poni conſuevit, pendentibus hinc inde aulæis, aliiſque ornamentis ad cultus ac maximæ venerationis ſignum appoſitis, liber enim Euangeliorum Chriſti reparatoris noſtri loquentis typum gerit, ut ait S.Cyrillus in Epiſtola Apologetica ad Theodoſium: ideoque in Synodo Epheſina ſupra Thronum locatum fuiſſe teſtatur his verbis: *Sancta Synodus in S. Eccleſia, quæ Maria dicitur, congregata Chriſtum veluti caput conſtituit, venerandum enim Euangelium in ſacro Throno collocatum erat, illud tantum ſanctorum Sacerdotum auribus inſinuans: Juſtum judicium judicate.* Item in Concilio Chalcedonenſi Generali IV. actione prima, ſecunda, tertia, quarta, ac reliquis ſemper reſidentibus Epiſcopis, & Patribus in medio ſacroſancta Euangelia poſita eſſe memorantur: quod de auctoritate Conciliorum loquens manifeſtat etiam Julianus Coenſis Epiſcopus Legatus Leonis I. in epiſtola ad Leonem I. Imperatorem, apud eruditiſſimum Soc. Jeſu ſcriptorem Philippum Labbæum Tom.IV. Concil. editionis Pariſienſis fol. DCCCCLXXIII. *Ubi*, inquit, *tantorum fuit congregatio multitudo Pontificum, & ſanctorum præſentia Euangeliorum, & frequens ſimul oratio, illic creaturæ totius opificem inviſibili virtute credimus fuiſſe præſentem.* Idem & in Concilio Generali VI. Conſtantinopolitano III. in Trullo celebrato actione prima memoratur factum. Ritum ipſum in VII. Generali Synodo, quæ altera Nycena fuit, ſervatum fuiſſe Tharaſius Conſtantinopolitanus Antiſtes prodit his verbis: *Jacebat autem in ſacro Throno Euangelium ſanctum, quod omnibus qui convenerant,* Juſtum judicium judicate, juſtitiam pro ſancta Dei Eccleſia adminiſtrate *proclamabat*. In Concilio Generali VIII. additæ ſunt Sanctæ Crucis reliquiæ; legimus enim in ejuſdem actis: *Propoſitis pretioſis, & vivificis lignis, & intemeratis ſalutis noſtræ Euangeliis &c.*

Quod

Quod vero apud Græcos factum liquet, etiam in Ecclesia Occidentali servatum fuisse constat ex Concilio Lateranensi I. Martino I. Summo Pontifice, ubi initio consultationis primæ sic legitur : *Præsidente sancto ac Beatissimo Martino Papa Sanctæ Sedis Apostolicæ Urbis Romæ, propositis sacrosanctis, & venerabilibus Euangeliis in Ecclesia Dei, & Domini nostri Jesu Christi, quæ vocatur Constantiniana &c.* Quæ verba semper initio omnium reliquarum consultationum repetuntur. Quanta autem magnificentia fuerit ejusmodi ritus in Concilio Ferrariensi servatus, scilicet antequam Florentiam translatum esset, docent quæ in principio ejusdem Concilii habentur apud Labbæum tomo XIII. fol. XVIII. *In medio Templi, atque inter duos Cleros ante sacrum Altare solium pulcherrimum posuere perquam ornatum, apparatumque aureo velamento, in quo sedit Judex magnus, & justus Dominus noster Jesus Christus, hoc est Sanctum Euangelium, appositis hinc inde Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli capitibus, cereisque ante illa accensis.* Sed nec in Œcumenicis tantum, verum etiam in Provincialibus Synodis id fieri consueviſſe, ut scilicet in medio sacri consessus Euangelii codex locaretur, Concilium Valentinum in Galliis habitum Lothario Imperatore, in præfatione testatur. Quod etiam confirmatur ex abjuratione Berengarii sub Nicolao Papa II. in Concilio Romano, anno MLIX. ubi per sacra Euangelia, quæ in medio posita erant juratse dicitur. Quid tandem Patres eo ritu exprimere voluissent, jam supra dictum est; additque Filesaccus *De sacra Episcoporum auctoritate* cap. XIII. §. II. id quod Servator dixit; *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matthæi cap. XVIII.

Euangelium in Judiciis profanis pro Tribunali positum.

CAPUT XI.

QUod in Œcumenicis Catholicæ Ecclesiæ Conciliis factitatum vidimus, idem quoque in quibusvis judiciis faciendum constituit Imperator Justinianus, nimirum ut sacrorum Euangeliorum Scripturæ terribiles ante sedem judicialem deponantur, ibique ab initio litium ad finem usque permaneant, nec amoveantur nisi sententia recitata, quo totius consistorii latitudo, Dei ipsius repleta præsentia, omnibus ad sacrosanctas scripturas metum incutiant, & reverentiam, & ab inquisitione veritatis omnis iniquitas propulsetur. Verba legis *Rem non novam* Cod. *De judiciis* hæc sunt,, Sancimus omnes Judices, sive majores, sive minores, qui in administrationibus positi sunt, vel in hac Regia Civitate, vel in Orbe Terrarum, qui nostris gubernaculis regitur, sive eos quibus nos audentiam committimus, vel qui a majoribus Judicibus dantur, vel qui ex jurisdictione sua judicandi habent facultatem, vel qui ex recepto, ideſt compromisso, quod judicium imitatur, causſas dirimendas suscipiunt, vel qui arbitrium peragunt, vel ex auctoritate sententiarum, & partium consensu electi sunt, & generaliter omnes omnino Judices Romani juris disceptatores non aliter litium primordium accipere, nisi prius ante sedem judicialem sacrosanctæ deponantur Scripturæ, & hæ permaneant non solum in principio litis, sed etiam in omnibus cognitionibus, usque ad ipsum terminum, & difinitivæ sententiæ recitationem. Sic etenim attendentes ad sacrosanctas Scripturas, & Dei præsentia consecrati, ex majore præsidio lites dirimentes, scituri quod non magis alios judicant, quam ipsi

ipſi judicantur, cum etiam ipſis magis, quam partibus terribile judicium eſt; ſiquidem litigatores ſub hominibus, ipſi autem a Deo inſpectore adhibito cauſſas proferunt trutinandas. Ita Juſtinianus.

Ritum ponendi pro Tribunali Euangelium in profanis judiciis luculenter illuſtravit Pancirolus, figuramque etiam expreſſit in hiſtoria Imperii Orientalis, & Occidentalis; ex eoque Ciampinus in libro veterum monumentorum parte I. cap. XVI. ubi aliam figuram exhibet, in qua menſæ ſeu parvo ſolio ſuperpoſitus eſt liber Euangeliorum occluſus, in cujus tegmine exteriori imago viſitur Jeſu Chriſti, ſeu Euangelii ſcriptoris, & forte Joannis, quum juvenilem ætatem præſeferat, qualem illi vulgo Pictores affingunt. Duo deinde a dextris, totidemque a ſiniſtris cerei fulgent, infixi candelabris, quibus alterum longe majus adſtat extra, ſed pone menſam formæ quammaximæ, variiſque figurarum capitibus cælatum, ſuper quod lucernam, non cereum imponi olim conſueviſſe veroſimilius putat memoratus Ciampinus.

Sacri Euangelii uſus in purgatione Canonica.

CAPUT XII.

PUrgatio canonica Auctore Silveſtro *In ſumma* dicitur oſtenſio innocentiæ de objecto crimine juxta Sacrorum Canonum decretum facta. Siquis igitur Epiſcopus, ſiquis Presbyter, ſiquis etiam laicus vulgi rumore, criminis inſimulabatur, mos olim fuit, ut licet nec teſtibus, nec facti ipſius evidentia convinci potuiſſet, purgare ſe tamen ex præſcripto Canonum teneretur. Vocatur autem hæc purgatio Canonica, quod a ſacris Canonibus invecta ſit, atque præſcripta: fit autem per juramentum, quod pluribus modis antiquitus

præſtabatur, ad Euangelia ſcilicet, ad Sacroſanctam Euchariſtiam, ad Reliquias Martyrum, ad Crucem. Varia ejus exempla adducit in ſuo decreto Gratianus; cauſa II. quæſt. IV. & inter alia illud Tridentini Epiſcopi, qui ſimoniæ inſimulatus, communi ſententia in Concilio juſſus eſt, ut tertia manu ſui Ordinis, & quatuor Abbatum, & Religioſorum Sacerdotum de ea ſimonia ſe purgaret in præſentia Aquilejenſis Patriarchæ. Forma autem purgationis ipſius, & ſociorum ita præſcribitur. *Idem Epiſcopus ſupra ſancta Euangelia primum jurabit, quod pro Eccleſia S. Petri de Pado Presbytero Paulo danda, neque ipſe per ſe, vel per ſummiſſam perſonam, neque alius pro eo ſe ſciente pretium receperit; deinde expurgatores ſuper ſancta Dei Euangelia jurabunt, ſcilicet quod ſicut ipſi credunt, verum juravit.* Hæc apud Gratianum; ubi etiam Can. *Omnibus* loco citato habetur, quod ſi Sacerdos ſuſpicioſus, aut incredibilis ſuo Epiſcopo, aut reliquis ſuis conſacerdotibus ſive bonis, & juſtis de ſuo populo, vel ſua plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in prædicta ſuſpicione remaneat, cum tribus, aut cum quinque vel ſeptem bonis aut vicinis Sacerdotibus, exemplo Leonis Papæ qui duodecim Epiſcopos in ſua purgatione habuit, vel eo amplius, ſi ſuo Epiſcopo viſum fuerit; aut neceſſe eſſe propter tumultum populi perſpexerit, & cum aliis bonis, & juſtis hominibus ſe Sacramento coram populo ſuper quatuor Euangelia dato purgatum Eccleſiæ reddat.

At non ſolum Presbyteri, & Epiſcopi, ſed etiam ipſi Summi Pontifices Euangeliis olim purgare ſe conſuevere. Præclarum eſt Pelagii exemplum, qui ductus in ſuſpicionem procuratæ mortis Vigilio Papæ, facta proceſſione cum litania ab Eccleſia S. Pancratii ad Baſilicam S. Petri, præſente Narſete duce, ac univerſo populo, & clero tenens Euangelium, & Crucem ſuper caput

put ſuum ab eo crimine ſe purgavit; teſte Anaſtaſio in ejus vita. Item cum Summo Pontifici Leoni III. multa ab adverſariis crimina objecta eſſent, nulluſque ea probaret, refert Monachus Sangallenſis in vita Caroli Magni, quod intemeratus Pater Leo aſſumens Euangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti poſuit ſuper caput ſuum, & in conſpectu Caroli (Magni) ejuſque militum, aſſiſtentibus etiam perſecutoribus ſuis in hæc verba juravit: *Sic in die magni judicii ſim particeps Euangelii, ſicut immunis ſum criminis falſo mihi ab iſtis objecti.* Olim quidem ſolus putatus Reus jurabat ſe eſſe innocentem, ſed invaluit alios etiam adhiberi probatæ fidei, ac probitatis viros, qui eodem modo jurarent ſe eum innocentem credere, ideoque compurgatores dicebantur; unde ſe purgare quarta, ſeptima, aut duodecima manu, ideſt tot adhibere ad purgationem illam, quot judex juſſiſſet, ut recte obſervat Franciſcus de Roye Anteceſſor Andegavenſis *Inſtitutionum Canonicarum* lib. III. Tit. XIV.

Quoniam vero de purgatione canonica agimus, illud quoque prætermitti non debet, fuiſſe nimirum aliam in Monaſteriis conſuetudinem; nam ſi contigiſſet furtum in eis committi, & furem ignorari, Miſſa celebrabatur ab Abbate, vel alio præſentibus fratribus; qua expleta omnes communicabant in hæc verba: *Corpus Domini ſit mihi ad probationem hodie.* Can. *Sæpe* II. quæſt. IV. Erat olim quoque in uſu alia purgatio quæ dicitur vulgaris vulgi moribus introducta: fieri hæc cœpit primo per ſingulare certamen. II. Per ferrum candens aut ignitum, quod reus nudis manibus attingebat. III. Per aquam calidam ſeu bullientem, in quam manus immittebat IIII. Per aquam frigidam, ut manibus, & pedibus ligatis in magnum vas ea plenum conjiceretur, & ſupernataret innocens, aut mergeretur reus. Hæc deficiente legitima probatione eruendæ veritatis media habe-

habebantur. Qui duello vicerat, qui igne non læsus, qui aqua non offensus, innocens credebatur; existimabant veteres Deum semper ita favere innocenti, ut semper victor, aut illæsus esset; sed sacri Canones perpetuo ejusmodi purgationem improbarunt, quasi per eam tentaretur Deus, & ab eo miracula demum exigerentur; Can. *Consuluisti*. Can. *Monomachiam*. II. quæst. IV. adeo tamen vulgus eam probabat, ut etiam occurrant Ecclesiasticæ preces, quibus benedicerentur pugiles, sicut & ipsamet aqua apud Delrium in tractatu Disquisitionum magicarum, & alios Scriptores Ecclesiasticos.

Ad Euangelium juramenta edita, eodemque res gravissima confirmata. Pœna a legibus in perjuros constituta.

CAPUT XIII.

SAtis antiquus, & usitatus fuit mos ille jurandi super sacrum Christi Euangelium, atque in eo Deum præsentem agnoscere: qui ritus originem suam trahere videtur a jurejurando Gentilium, qui aram tenendo jurabant. Ex constitutione Leonis Imperatoris nemo militabat qui non apud acta esset testificatus propositis Sacrosanctis Euangeliis se esse Christianum Orthodoxum L. *Nemo* XX. Cod. *De Episcopali audientia*. In judiciis sæcularibus juramentum super Euangelia exigebant Judices Cæsarei L. *In omnibus* Cod. *De jurejurando propter calumniam*: quod tamen postea Ecclesia sibi reservavit; cum ad ipsam Euangelium pertineat, ejusque solius sit Euangelium tradere ad quodcumque opus religiosum; unde & ipsi Præsides in manibus Episcoporum jurare jussi sunt *Novella* VIII. in appendice, hac forma: *Juro ego per Deum*

Deum Omnipotentem, & Filium ejus Unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & Spiritum Sanctum, & per Sanctam Glorioſam Dei Genitricem, & per quatuor Euangelia quæ in manibus meis teneo &c. Olim quoque Sacra Euangelia Clericos jurantibus porrigere conſueviſſe conſtat ex antiquo Auctore inter opera S. Joannis Chryſoſtomi homilia XLI. in cap. v. S. Matthæi: *Audite*, inquit, *Vos Clerici qui jurantibus Euangelia Sancta porrigitis*, alibi, *portatis*.

Quanta Majorum noſtrorum eſſet pietas in jurando ſuper ſancta Dei Euangelia, neceſſe non eſt ut pluribus explicemus; tantum enimvero Sacro Codici cultum, & reverentiam exhibuerunt, ut facinus prope nefarium exiſtimarent id omittere, quod vel inſomnis, tactis Euangeliis fuiſſent polliciti. Exempla ejus rei profert Nicephorus lib. XI. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. XLII. Non defuere tamen viri impii, qui paſſim in Tribunalibus ſuper Euangelia pejerare non vererentur; quoſque juſto dolore incenſus Theophanes ita acriter inſectatus eſt homilia XII. *Me quidem horror, & tremor invadit conſiderantem quam crebra in Tribunalibus juramenta fiant, & quo pacto Euangelium omni veneratione dignum in peſtilentiæ cathedra parvipendatur; hoc enim præcipit non jurare omnino; at vero illud adjumentum ſuæ avaritiæ fures aſſumunt; ita multo deteriores ſunt fidei expertibus. Clinias quidem græcus homo trium talentorum damnum ferre, quam jurare maluit, & talenta dedit accuſatori, nec juravit; quodque majus eſt, cum non eſſet pejeraturus. An non igitur ſumus gentilibus nequiores?* Sic ille. Qua autem pœna hujuſmodi ſacrilegi punirentur, docet Harmenopolus lib. I. Titulo VII. his verbis: *Qui in Eccleſia intemerata contrectans Euangelia, poſtmodum vero pejerare deprehenſus fuerit, ei lingua præcidatur.*

In

In electionibus Episcoporum, Abbatum, & Regum Euangelium adhibitum.

CAPUT XIV.

PRæter illum Euangelii ritum in consecratione Episcoporum usurpati, alter erat etiam ejusdem usus in eorum electione, Justiniani Imperatoris ævo institutus; cujus novella constitutio CXXIII. cap. I. sic ait: *Sancimus igitur, quoties opus fuerit Episcopum ordinari Clericos, & primates Civitatis, cujus futurus est Episcopus ordinari, mox in tribus personis decreta facere, propositis eis* sacrosanctis Euangeliis *periculo suarum animarum dicentes in ipsis decretis: quia neque propter aliquam donationem, neque propter aliquam promissionem, aut amicitiam, aut aliam quamlibet causam, sed scientes eos rectæ, & catholicæ fidei, & honestæ esse vitæ, & literas nosse, hos elegerunt, &c.* Idem pariter Imperator jubet ut in Monasterio, mortuo Præfecto, is quem vita, & honesti mores commendant propositis sacris Euangeliis ad præfecturam vocetur L. *Sacris* XLVII. Cod. *De Episcopis, & Clericis*. Quod autem spectat ad electionem Regis Romanorum, hæc statuit aurea bulla Caroli IV. Imperatoris cap. II. „ Peracta Missa hujusmodi (de Spiritu Sancto) omnes illi Electores seu Nuncii accedant ad Altare, in quo Missa eadem extitit celebrata, ubi Principes Electores Ecclesiastici coram Euangelio B. Joannis: *In principio erat Verbum*: quod illic ante ipsos poni debebit, manus suas pectori cum reverentia superponant. Sæculares vero Principes Electores dictum Euangelium corporaliter manibus suis tangant, qui omnes cum tota sua familia tunc ibi debebunt inermes assistere. Et Archiepiscopus Moguntinensis formam juramenti eis dabit, & una cum ipsis, & ipsi, vel absen-

abſentium Nuncii una cum eo juramentum præſtabunt vulgariter in hunc modum: Ego N. Archiepiſcopus Moguntinenſis Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, ac Princeps Elector juro ad Sancta Dei Euangelia hic præſentialiter coram me poſita, quod Ego per fidem qua Deo, & Sacro Romano Imperio ſum adſtrictus eligam ſecundum omnem diſcretionem, & intellectum meum cum Dei adjutorio eligere volo temporale Caput populo Chriſtiano, ideſt Regem Romanorum in Cæſarem promovendum, qui ad hoc exiſtat idoneus, in quantum diſcretio, & ſenſus mei me dirigunt, & ſecundum fidem prædictam, vocemque meam, & votum, ſeu electionem præfatam, dabo abſque omni pacto, ſtipendio, pretio, vel promiſſo, ſeu quocumque modo talia valeant appellari: Sic me Deus adjuvet, & Omnes Sancti.

Codex Euangelii ſupra Caput Epiſcopi conſecrandi impoſitus, & cur?

CAPUT XV.

SAtis mirari nequeo cur Amalarius Fortunatus tam libere aſſeveret hunc ritum neque Apoſtolica traditione, neque auctoritate canonica in Eccleſiam irrepſiſſe. Hæc ejus verba libro II. *De officiis* cap. XIV. *Dicit Libellus, ſecundum cujus ordinem celebratur ordinatio apud quoſdam, ut duo Epiſcopi teneant Euangelium ſuper caput ejus quod neque vetus auctoritas intimat, neque Apoſtolica traditio, neque canonica auctoritas.* Id ipſum aſſerit creditus Alcuinus cap. *Qualiter Epiſcopus ordinetur &c.* Sed quam graviſſime ambo labantur, ſatis demonſtrant antiquiſſima SS. Patrum teſtimonia, qui ejus ritus imponendi ſupra caput Epiſcopi conſecrandi Euangelium frequenter meminerunt; ac primum S. Dionyſius

Areopagita ſic ait *De Eccleſiaſtica Hierarchia* cap. v. *Pontifex ad Hierarchicam ordinationem adductus, pedes ambos inflectens ad Altare, ſupra caput accipit a Deo tradita oracula, & manum Pontificiam.* Utrumque ſcilicet conjunxit, & librum Euangelii, & conſecrantis manum. Sic & Pachimeræ eundem in locum paraphraſis: *Supra caput accipit divina, & ſacra Euangelia.* Item S. Clemens, ſeu vetuſtiſſimus Auctor conſtitutionum Apoſtolicarum præfati ritus teſtis eſt luculentiſsimus ita inquiens: *Unus ex primis Epiſcopis una cum duobus aliis prope altare ſtans reliquis Epiſcopis, & Presbyteris tacito precantibus: Diaconis autem divina Euangelia ſupra ordinati caput aperta tenentibus, dicat ad Deum: Domine Deus &c.* Tandem S. Joannes Chryſoſtomus in quadam, *De laude Euangelii* homilia, & ritus meminit, & myſterium explicavit: his verbis: *Dum ordinantur Sacerdotes, Euangelium capiti imponitur, quo diſcat ordinatus veram ſe accipere Euangelii tiaram; diſcat etiam tametſi omnium ſit caput, ſe tamen eſſe ſub legibus, & cum omnibus dominetur, legis imperio ſubjici, cumque omnibus legem ponat, a lege gubernari.* Verior tamen ejus ritus cauſſa illa videtur, quam attexit S. Dionyſius *In theoria*, nimirum Euangelii intelligentiam, meditationem, & promulgationem: Unde non immerito Eccleſiæ Romanæ Ordo ſimul cum Euangeliorum impoſitione hæc verba, quæ formæ locum tenent, ore conſecrantium Epiſcoporum pronuntiat: *Accipe Spiritum Sanctum*: Et poſtea dum Euangelium ipſum in manus ei traditur: *Accipe Euangelium, vade, prædica populo tibi commiſſo*, adeo ut Euangelii ſupra cervices impoſitio materiæ reſpondeat. Nec enim deſunt Canoniſtæ iidemque inſignes, inter quos doctiſsimus Proſper Fagnanus, qui Epiſcopatum ordinem proprie dictum eſſe affirment, ac robuſtiſsimis argumentis comprobent.

Euan-

Euangelium aureis literis conſcriptum, ac gemmis pretioſiſſimis exornatum.

CAPUT XVI.

LEgem aureis literis aliquando ſcriptam indicat Ariſtæas in hiſtoria de LXX. Interpretibus. *Hi poſteaquam cum muneribus, & diverſis pellibus, in quibus divina lex aureis literis hebraico ſermone conſcripta erat &c.* Alia ab aliis, literis aureis conſcribi non eſt, quod vocetur in dubium. Tanta vero fuit olim veterum Chriſtianorum erga Euangelium reverentia, amor, & veneratio, ut illud aureis literis conſcribendum, ac pretioſiſſimis tegumentis exornandum quammaxime curarent. Exemplo eſt magnus Theodoſius Orbis terræ imperio digniſſimus, qui teſte Nicephoro Callixto libro XIV. *Hiſtoriæ* cap. XIII. Euangelium *ἰδιοχείρως propria manu* literis aureis exquiſite elaboratis deſcripſit, nec interdiu modo, verum etiam bona noctis parte quotidie lectitabat; præſtabat enim non ſolum animi pietate, ſed & pingendi artificio pollebat. S. Bonifacium Epiſcopum, ac Martyrem præſtantiſſimum propriis manibus Euangelium literis aureis deſcripſiſſe teſtatur Nicolaus Ferrarius in hiſtoria Moguntina, adnotatione XLVIII. poſt vitam S. Bonifacii Epiſcopi, & Martyris. Euangelii etiam auro ſcripti, capſaque argentea tecti, gemmis, & lapidibus fabricata meminit in Chronicho Centul. Hariulphus lib. III. cap. III. Sed quid hic Chriſtianorum exempla memoro, quum ipſi Platonici ejuſmodi honorem Euangelio tribuendum affirmarent, ut tradit S. Auguſtinus libro X. *De Civitate Dei* cap. XXIX. *Initium*, inquit, *S. Euangelii, cui nomen eſt ſecundum Joannem, quidam platonicus, ſicut a S. ſene Simpliciano, qui poſtea Mediolanenſi Eccleſiæ ſedit Epiſcopus, ſolebamus audire,*

aureis literis conſcribendum, & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe dicebat.

De pretioſiſſimis Euangeliorum tegumentis innumera prope extant apud Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores monumenta. Conſtantinum Magnum Imperatorem Euangeliorum volumina auro tecta, unionibuſque, ac pretioſis ornata lapidibus in magno Templo collocaſſe narrat Cedrenus in compendio hiſtoriarum ad annum XXI. Conſtantini. Zenonem Imperatorem Euangelium repertum cum corpore S. Barnabæ Apoſtoli, ipſius Apoſtoli manu deſcriptum auro exornatum in æde S. Stephani, digniorique loco ſui palatii, cui *Daphra* nomen erat, poſuiſſe, idem prodit Cedrenus in Zenone, & alii. Narrat Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Gregorii Papæ III. feciſſe eum Euangelia aurea penſantia libris quindecim. Teſtatur Zonaras, quum Beliſarius Gelimerum Vandalum, qui Africæ dominatu potiebatur, clara victoria ſuperaviſſet, in præda fuiſſe divinorum Euangeliorum libros, undique auro fulgentes, & omnis generis lapillis diſtinctos. Scribit Gregorius Turonenſis libro III. *Hiſtoriæ Francorum* cap. x. Childebertum e ſpoliis Amalarici inter alia magnificentiſſima ornamenta retuliſſe viginti Euangeliorum capſas auro puro, & gemmis pretioſis ornatas. Leo Oſtienſis libro III. *Chronici Caſinenſis* cap. XX. & LXXIV. inter ornamenta Caſinenſi Eccleſiæ acquiſita, & relicta a Deſiderio Abbate, qui poſtea Victor III. Romanus Pontifex fuit, numerat libros Epiſtolarum, & Euangeliorum, ac Sacramentorum cum tabulis aureis, & argenteis. Tandem Peſſina in opere, cui titulus, *Phoſphorus Septicornis, De gloria, & majeſtate Eccleſiæ Pragenſis* Radio IV. ad diem XXV. Aprilis ſic ſcribit: *Aſſervatur in Cathedrali Pragenſi poſterior pars libri Euangeliorum S. Marci, quem idem propria manu conſcripſerat latinis literis. Librum hunc Carolus IV. ma-*

magnis precibus obtinuit a fratre ſuo Nicolao Patriarcha Aquilejenſi anno MCCCLV. *& auro, ac gemmis ornatum donavit Eccleſiæ Pragenſi. Ex quo, die feſto Paſchæ, atque iterum Aſcenſionis Domini ad Miſſarum ſolemnia legitur Euangelium.*

Cur autem tam ſplendidis tegumentis Euangelia exornarentur, docet Rupertus Abbas Tuitienſis qui floruit anno MCXXXV. libro II. *De divinis officiis* cap. XXIII. *Codices quoque Euangelici auro, & argento, lapidibuſque pretioſis non immerito decorantur, in quibus rutilat aurum cœleſtis ſapientiæ, nitet argentum fidelis eloquentiæ, fulgent miraculorum pretioſi lapides, quæ manus Chriſti tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis operatæ ſunt.* Conſonat S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, oratione *De Imaginibus* vocans Euangeliorum volumen theſaurum æternorum bonorum. Quamobrem non immerito exornantur: nam ſi Aritoni populi oracula ſua teſtis alioquin inſcripta, aureis involucris cum aliarum gentium commendatione ſervabant, ut prodit Nicolaus Damaſcenus; quanto magis Chriſtianos decuit æternæ ſapientiæ oracula ſplendidiſſimis, ac pretioſiſſimis tegumentis complecti?

Euangelii liber auro gemmiſque ornatus a Viris Principibus dono miſſus Pontificibus Maximis, vel Epiſcopis. Parte item Euangelii pretioſis incluſa thecis a Summis Pontificibus donati Viri Principes.

CAPUT XVII.

NOn unum hujus quoque generis, & ritus exemplum Eccleſiaſtica nobis ſuppeditat hiſtoria. Conſtantinus

tinus Magnus S. Nicolao Epiſcopo Myrenſi, vitæ ſanctimonia, atque miraculis longe lateque conſpicuo, dono miſit librum Euangeliorum auro, & lapidibus pretioſis ornatum, ut prodit Auctor ejus vitæ. In actis S. Geminiani Epiſcopi Mutinenſis legitur; *Poſtquam idem vir ſanctus filiam a dæmone obſeſſam liberaſſet, ei Jovinianum Imperatorem Patrem Euangeliorum textum nobiliter exornatum donaſſe.* Teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius Euangelia cum tabulis aureis, gemmiſque pretioſis ad Hormiſdam Romanum Pontificem miſſa dono e Græcia fuiſſe. Conſtans Imperator, ut idem prodit Auctor, ad Vitalianum Papam ſacroſanctum Euangeliorum librum miſit gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornatum, Beati Petri Apoſtoli Baſilicæ offerendum. Ipſe quoque Anaſtaſius memorat Michaelem Imperatorem, ejus nominis tertium, Benedicto III. Papæ miſiſſe Euangelium auro puriſſimo tectum, cum diverſis lapidibus pretioſis. Solebant enimvero, ut ſcite animadvertit Creſolius, potentiſſimi Reges, ac Principes ejuſmodi munus ad Pontifices mittere, ut religionem in Chriſti doctrinam, atque Euangelium prædicarent, teſtatamque redderent; tum etiam in argumentum catholicæ cum Eccleſia Romana communionis; tum denique ut Apoſtolorum Principem Patronum haberent, cujus Romanus Pontifex eſt Succeſſor. Hinc Imperatores Orientis epiſtola ad Ludovicum Pium Occidentis Imperatorem, quam refert Petrus Dellande Ricomagenſis, *In ſupplemento antiquorum Conciliorum Galliæ* pagina CVIII. ita ajunt: *Honorem Eccleſiæ Chriſti quærentes fecimus literas ad Sanctiſſimum Papam antiquæ Romæ, & eas miſimus per prædictos Miſſos noſtros ad eum, dantes eis Euangelium aureum ex lapidibus pretioſis ornatum, ſimiliter & patenam auream, & calicem ſimili modo ornatum, ambobus inſcripta imperii noſtri nomi-*

nomina, ut Deo jubente illuc pervenientes, offerant ea ad Templum Sanctiſſimi, & Beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri, qui intercedat pro nobis, & vobis.

Notationem quoque meretur præcipuam a Pontificibus Maximis quandoque parte S. Euangelii thecis aureis, vel argenteis incluſa viros Principes donari conſueviſſe, quorum teſtatiſſimum erat Orthodoxæ Religionis ſtudium. S. Gregorius Papa, *Excellentiſſimo*, inquit lib. XII. epiſtola VII. *Filio noſtro Adulovaldo Regi tranſmittere philacteria curavimus, ideſt Crucem cum ligno S. Crucis Domini, & lectionem Sancti Euangelii thecæ perſica incluſam.*

Euangelium lotis manibus attrectatum, aperto capite, ſtando, ac lumine adhibito lectum.

CAPUT XVIII.

TRadit Plutarchus oratione II. *De eſu carnium*; Gentiles olim libros ſacros illotis manibus contingere piaculum exiſtimaſſe: *Et nos*, inquit, *fortaſſe peccamus, quia hujuſmodi libros attingimus non luſtratis manibus, oculis, pedibus, auribus.* Judæi quoque tanta veneratione Prophetarum libros proſequebantur, ut eos manu contingere non auderent, linteumque ſubſternerent, ne divinum volumen rem ullam profanam contingeret: quod non obſcure videtur indicare S. Hilarius in Pſalmum CXXXI. Quid igitur Chriſtiani? Nemo audebat Euangelium attingere quin prius manus laviſſet, deinde pudens, & horrifico metu abjectus, ac reverens accedebat. *Si Euangelium*, inquit S. Joannes Chryſoſtomus homilia VII. ad populum, *capere oporteat, manibus lotis cum multa reverentia, & religione, horrore plenus, ac timens*

timens fumis. Quem ritum Moſchovitæ adeo obſervant, ut Euangelium tangere minime audeant, niſi prius laverint manus, ſeque ſigno Crucis munierint. Quorum tametſi Schiſmaticorum reverentiam par eſſet omnes Orthodoxos imitari. Utinam & noſtris oculis non cerneremus Sacrum Euangeliorum Codicem paſſim a pueris, aut vilioribus hominibus habitu ſordido, manibus allium, cepam, caſeum, ac ſimilia maleolentibus, ſine ullo pietatis ſenſu, aut cordis affectu contrectari, dum ad Sacrum, & tremendum Miſſæ miniſterium, nimia præfectorum rei ſacræ oſcitantia admittuntur.

Tantum quoque honoris veteres Chriſtiani ſacris Codicibus detulerunt, ut non ſolum manus lavarent, ſed etiam ſumma reverentia aperto capite legerent viri, velato vero mulieres; qua de re ſic ſcribit S. Joannes Chryſoſtomus homilia LII. in Joannem: *Manus lavamus cum librum accipimus: vides quanta ante lectionem reverentia moveamur? Quod ſi diligenter accedamus, magna inde proveniet utilitas. Non enim niſi reverens anima manus laverit, & uxor ſi detectum caput habuerit, quamprimum tegit, interioris reverentiæ proferens indicium; vir autem tectum caput deteget.* Hæc de veterum Chriſtianorum religione ac pietate S. Joannes Chryſoſtomus; ubi vides mulieres in reverentiæ ſignum, juxta Apoſtoli præceptum caput operuiſſe, aperuiſſe viros. Sed nec ſolum ejuſmodi honoris indicio priſci fideles divinum librum venerabantur, verum etiam ſtando lectitabant, & aliquando lumine adhibito. Cujus rei exemplum præſtantiſſimum habemus in hiſtoria Patriarcharum Alexandriæ ab Echellenſi edita; ubi de S. Alexandro XIX. Patriarcha ſic legitur: *Affirmat Athanaſius Diſcipulus hujus Patris Patriarchæ dicens: Pater meus Alexander, quoties Euangelium in ſua cella legebat, id ſtans præſtabat, ac lampade accenſa.* Sic enim exiſtimabant

bant præſentem in Euangelio Chriſtum adeſſe, & alloqui unumquemque, nec videri ſatis religioſum, qui non, Summo Dei Unigenito meritum honorem detuliſſet. Quæ ſacris codicibus veneratio ab Hebræis exhibeatur docet ſacrarum literarum interpres excellentiſſimus Nicolaus de Lyra, in Lucam capite IV. *Hanc*, inquit, *reverentiam faciunt libris veteris Teſtamenti, quod nullo modo ſedeant juxta illos; ex quo patet quod illi Chriſtiani ſunt valde reprehendendi, qui non ſolum libros veteris Teſtamenti, ſed etiam Novi, etiam ſacra Euangelia ita irreverenter tractant.*

Euangelico ſcribendo Codici homines delecti. Idem vetuſtate detritus in ſacrarium conditur.

CAPUT XIX.

ANtequam circiter medium XV. ſæculum opera duorum Germanorum Typographia in Italia inciperet, cunctis notum eſt fuiſſe in uſu ut libri omnes manu deſcriberentur; cui muneri qui inſiſtebant, antiquarii dicebantur. *Qui videt literas*, (ait S. Auguſtinus) *in codice optime ſcripto, & non novit legere, laudat quidem antiquarii manum*; conſentit S. Hieronymus, qui antiquariam artem tranſcriptoris profeſſionem appellavit. Huic autem labori ſuam Monachos ut plurimum navaſſe operam, teſtatur S. Joannes Chryſoſtomus, qui de eiſdem loquens: *Poſt completum*, inquit, *orationis officium ſcribendis libris operam dabant*. Item S. Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum his verbis: *Scribebantur libri, ut manus operarentur cibum, & animus lectione ſaturaretur*. Quantum vero in hac arte Monachi Bene-

dictinæ familiæ laboraverint, pluribus probat eruditissimus Haeftenus *Monasticarum disquisit.* tractatu secundo, disquisitione IV. Sed cum aliquando, fortasse lucri caussa homines parum idonei libros describerent, factum est ut etiam sacri codices variis erroribus scaterent; cui malo volens Carolus Magnus occurrere, aperte cavit ne promiscue omnibus ejusmodi provincia demandaretur, sed ut a viris tantum probis selectisque divina volumina describi deberent: Sic enim de re ipsa legitur in Capitulari Aquisgranensi. *Si opus est Euangelium, vel Psalterium, & Missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia.*

Quid autem olim fieret de Codice S. Euangelii si prævetustate usui Ecclesiæ amplius esse non posset; puto quod primum igne absumeretur, ac deinde cineres in quibusdam sacris locis occultarentur; sic enim de reliqua Ecclesiæ inutili supellectile sacri Canones statuerunt: *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non licet ea quæ in sacrario fuerint male tractari; sed incendio universa tradantur; cineres quoque eorum in baptisterio inferantur, ubi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus coinquinentur.* Can. *Altaris* XXXVII. De consecratione dist. I. S. Carolus in Concil. Prov. II. titulo II. decreto XXI. expresse cavit ne libri sacri veteris, & novi Testamenti, volumina item SS. PP. nostræ fidei interpretum, tum scripta etiam Ecclesiastica, quibus, & res, & verba divina consignata sunt, etsi temporis vetustate omnino consumpta, ad rerum tamen vilium, ac sordidarum usum ullo pacto converterentur, sed in ignem potius conjicerentur. Sane liber legis qui in Synagoga asservatur, ubi assumptus fuerit, & vetustate detritus, ut legi vix possit, & præ diuturnitate de-

deſervire nequeat, tradit Novarinus lib. II. Schediaſmatum, illum Hebræos terreo vaſi includere juxta aliquem doctum virum, qui diem ſuum obierit. Quamobrem culpanda videtur quorundam Chriſtifidelium impietas, qui ſacris paginis ad rem profanam abuti non erubeſcunt. Quæ ſacris literis reverentia a Moſcovitis exhibeatur, hæc apud illos lex ſignificat, quam ex quodam Cyrillo refert Sigiſmundus apud doctiſſimum Novarinum loco citato: *Si forte lacerata papyrus, quæ aliquid ſacrarum literarum continebat in terram projecta fuerit, non liceat in eodem loco deambulare.* Quis igitur, (recte ait Lucas Tudenſis, lib. II. de altera vita cap. XXI.) tanta inſania ducitur, ut ſacram videns ſcripturam non ſimpliciter veneretur, & Euangelium Dei non adoret, & oſculetur? Præclarum eſt exemplum S. Franciſci, qui, ut ipſius acta teſtantur apud memoratum ſcriptorem, *ſi quando in terra aliquam reperiebat ſcripturam, humiliter elevans venerabatur eam, & in loco mundo ponebat, eo quod fortaſſis contineret ſcriptum nomen ſanctum.*

Reliquum eſt ut abuſum illum perſtringamus, qui alicubi non ſine piorum hominum animi ſenſu in quibuſdam Eccleſiis cernitur, ubi gravi Præpoſitorum oſcitantia, fædave avaritia quærentium quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, ſacri codices quamvis ita vetuſtate detriti ſunt, ut vix legi poſſint, adhuc tamen in divino miniſterio uſurpantur. Huc ſpectare videtur quod ſuo tempore uberrimis lacrymis deplorabat Cardinalis Religioſiſſimus Bellarminus, qui aureo opuſculo *De gemitu columbæ* lib. II. cap. v. inter alia ſcribit: „Omitto quod alicubi vaſa ſacra, & veſtes, quibus myſteria celebrantur, vilia, & ſordida inveniantur, indigna prorſus quæ ad tremenda myſteria adhibeantur. At forte qui hæc adhibent pauperes ſunt. Id quidem fieri poteſt, ſed ſi pretioſa non poſſunt, ſaltem munda, & nitida procurarent.

rarent. Ego tamen (verba ſunt ejuſdem ſapientiſſimi Cardinalis) cum aliquando ex itinere apud Epiſcopum nobilem, & prædivitem hoſpitarer, vidi aulam vaſis argenteis ſplendidam, & menſam omni genere præſtantium ciborum refertam; mappas quoque, & reliqua omnia nitida, & odorem ſuavem ſpirantia. Sed cum die ſequenti ſummo mane ad Eccleſiam Palatio contiguam deſcendiſſem, ut ſacris operarer inveni omnia contraria, ideſt vilia, & ſordida, ut vix auderem in tali loco, & cum tali apparatu divina myſteria celebrare. Scio non deeſſe in Eccleſia Dei multos optimos, & religioſiſſimos Sacerdotes, qui corde mundo, & nitidiſſimo apparatu divina myſteria celebrant, pro quibus gratiæ Deo ab omnibus agendæ ſunt: ſed ſimul etiam fontibus lacrymarum plangendi ſunt non pauciores qui exteriore turpitudine, & ſordibus, animi ſui impuritatem ſordeſque teſtantur.

Euangelium præcipua Clericorum ſupellex, a pleriſque tamen neglectum.

CAPUT XX.

SI ad priſca Eccleſiæ tempora oculos conjiciamus, nullus fere clericus abſque Euangelii codice reperietur. Si enim cæteri Chriſtifideles quocumque in loco eſſent, Euangelii codicem ſecum geſtabant, quanto magis Sacerdotes, & Epiſcopi, quorum eſt Chriſti legem prædicare, ac de illa perpetuo meditari? *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*, ait Apoſtolus in Timotheo clericos omnes informans. Hinc S. Epiphanius notæ ſanctimoniæ Præſul ſemper in manu, ſinuque illum ferebat; de quo ſcriptor ejus vitæ hæc habet: *Mos erat*

S. Epi-

S. Epiphanii habere in manibus ſancta Euangelia. Germanorum Apoſtolus S. Bonifacius Chriſti legem in Germania propagans, jugiter ſacrum Euangelii codicem ſecum deferebat, adeo ut eum nec in martyrio dimitteret; quin cum in ejus caput Friſones enſem vibrarent, hunc codicem quaſi ſpiritualem clypeum objecit; & illuſtri miraculo, licet enſe acuto per medium ſectus ſit liber, nulla tamen litera ea ſectione abolita fuit. S. Hilarionis hæreditas erat ſanctum Euangelium propria manu deſcriptum, quod proinde moriens legavit Heſychio diſcipulo: *Octogeſimo ætatis ſuæ anno* (ait S. Hieronymus in ejus vita) *cum abſens eſſet Heſychius, quaſi teſtamenti vice brevem manu propria ſcripſit epiſtolam, omnes divitias ſuas ei derelinquens, Euangelium ſcilicet, ſaccum, cucullam, & palliolum*. De Mila ſanctiſſimo in Perſide Epiſcopo refert Nicephorus libro VIII. *Hiſtoriæ* cap. XXXVII. quod quum ei Civitati præeſſet, ubi quotidianis laboribus ſuis nihil proficere potuiſſet, inde alio migraturus, relicta cætera ſupellectili ſolam peram extulit, in qua ſacrum Euangeliorum librum ſervabat. S. Dominicum Prædicatorum Ordinis Fundatorem Euangelium S. Matthæi perpetuum habuiſſe comitem, atque ita lectitaſſe ut pene totum memoriter noſſet, ejus vitæ prodit hiſtoria; cujus illud etiam celebratur effatum: *Sine ſacra ſcriptura prædicator eſſe non poteſt*.

Sed ut hactenus dicta recentibus etiam exemplis illuſtremus: Primi Clerici Regulares, quos Theatinos vocant, quotidie ſacrum Euangeliorum codicem legere conſueverunt, ſecumque gerebant, ut aſſidue ante oculos, & præ manibus haberent, altiuſque divina verba ipſorum cordibus inſiderent. Hinc tanta parvorum ſanctorum Euangelii voluminum copia hodieque in ipſorum domibus Venetiis, Neapoli, & Romæ occurrunt: teſte Antonio Caracciolo ejuſdem inſtituti viro religioſiſſimo, atque

atque doctiſſimo in libro II. De vita Pauli IV. Pontificis Maximi, quæ ſcripta, propriaque Auctoris manu emendata, & aucta proſtat apud eximium virum, amicum noſtrum Abbatem Petrum Pollidorum, numquam ſine elogio memorandum.

Alieni certe ab his exemplis ſunt non pauci Sacerdotes, quos profanorum librorum copia delectari, & ut non ſine lacrymis in epiſtola ad Damaſum ſcribit S. Hieronymus agens de filio prodigo, *omiſſis Euangeliis, & Prophetis videmus comœdias legere, amatoria, bucolicorum verſuum verba canere, tenere Virgilium, & id quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis*. Paullo ante vero non ſine præcipuo animi ſenſu pronuntiaverat: *Dæmonum cibus eſt carmina poetarum, ſæcularis ſapientia, rhetoricorum pompa verborum: hæc ſua omnes ſuavitate delectant; & dum aures verſibus dulci modulatione currentibus capiunt, animum quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt; verum ubi cum ſummo ſtudio fuerint, ac labore perlecta, nihil aliud, niſi inanem ſonum, & ſermonum ſtrepitum ſuis lectoribus tribuunt: nulla ibi ſaturitas veritatis, nulla refectio juſtitiæ reperitur. Studioſi earum in fame veri, & virtutum penuria perſeverant*. Hæc quidem Doctor ſanctiſſimus.

Illud ego etiam non poſſum non dolere, quod quum multi ad omne genus vanitatis ornamenta ſibi comparantes ſatis ſuperque laſciviant, de ſacris nihilominus habendis codicibus curam nullam habent; & tamen illis carendo, maxima, ac ſaluberrima ad bene vivendum præſidia, & incitamenta amittunt. Explicari certe nequit quam alacriter ad virtutem ſectandam eo adſpectu inflammarentur, quanto ſtudio, atque conatu prava fugerent, quam tutam ſalutis viam divinis documentis, atque doctrinis ſibi ſternerent; ac ne videamur de noſtro loqui, lubet hic aurea Sancti Joannis Chry-

Chryſoſtomi referre verba: *Ipſe etiam*, inquit in concione III. de Lazaro, *librorum adſpectus ſegniores nos reddit ad peccandum; quod ſi peccaverimus, reverſi domum, conſpectiſque libris, acrius nos condemnat conſcientia, reddimurque remiſſiores ad eadem repetenda. Si in ſanctimonia perſtiterimus, ex libris reddimur tutiores, firmioreſque. Nam ſimulatque tetigit aliquis Euangelium, mox compoſuit ſuam ipſius mentem, & a rebus mundanis abduxit; idque ex ipſo ſolo adſpectu; quod ſi acceſſerit diligens lectio, non aliter quam in ſacris aditis, divinis vacans anima ſic repurgatur, meliorque redditur, Deo cum ipſo per ipſas Scripturas colloquente.* Hæc ille. Quare jure ac merito quoſdam vanos ſui temporis clericos reprehendit S. Ambroſius lib. I. *De officiis* cap. xx. qui mulierum familiaritatibus implicati, tempus quod a divinis ſuperfuerat miniſteriis, & officiis, verbi Dei lectioni non impendebant. *Cur non illa tempora, quibus ab Eccleſia vacas, lectioni impendas? Cur non Chriſtum reviſas? Chriſtum alloquaris, Chriſtum audias? Illum alloquimur cum oramus, illum audimus cum divina legimus oracula: quid nobis cum alienis domibus?* Sic Ambroſius. Nos infeliciſſimis hiſce temporibus quid aliud agere multos Sacerdotes conſpicimus, quam de domo in domum tranſire, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia?

Euangelium Domi ſervatum diabolum arcet. Ejus lectio utilis omnibus, ac neceſſaria; a pueritia olim uſitata.

CAPUT XXI.

NOn ſolum homines, ſed domus etiam a Dæmoniis infeſtari res eſt certiſſima, quam divinæ literæ, San-

Sancti Patres, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ paſſim teſtantur. Hinc priſci fideles Sacrum Euangelium in domibus ſuis habere ſtudebant, ne illas ſcilicet malus dæmon infeſtare auderet, & vel ſolo adſpectu arceretur. Id aperte docet S. Joannes Chryſoſtomus, ex eoque evincit quam ſalutare ſit, ſi illud ſedulo Chriſtifideles lectitent, fideque ac religioſiſſime ſervent: *Si in quacumque domo*, inquit homilia xxxi. in Joannem, *Euangelium eſt, illuc Diabolus ingredi non audet: quanto minus aſſiduis lectionibus familiarem neque Dæmon, neque peccatum attinget? Sanctifica igitur animum, ſanctifica corpus, hoc continget, ſi Euangelium ſemper, & animo habueris, & lingua. Quod ſi linguæ obſcœnitas animam coinquinat, ſi Dæmones vocat, perſpicuum eſt ſpiritali lectione eam ſanctificari, & gratiam Spiritus Sancti affatim infundi. Divini cantus ſunt ſcriptura; hinc nobis, & animæ noſtræ affectibus remedium petamus, cujus utilitatem ſi intueremur, incredibili ei attentione vacaremus.*

Quantum autem utilitatis Euangelii lectio omnibus afferat, luculenter expreſſit S. Ambroſius, quum in Pſalmum cxviii. illud fidei doctrinam, morum magiſterium, & ſpeculum juſtæ converſationis appellavit. Longe clarius teſtatus eſt S. Bernardus ſubjecta metaphora: *Euangelium*, ait ſermone primo de vii. panibus, *ſpeculum veritatis nemini blanditur, nullum ſeducit; talem in eo ſe quiſque reperiet, qualis fuerit, ut nec ibi timore trepidet, ubi non eſt timor, nec lætetur cum male fecerit*. Similia tradunt cæteri Patres frequentiſſimi in inculcanda Euangelii lectione, quod diligenter percurrendum eſſe, ut omnium Scripturarum abſolutam perfectionem ipſi Apoſtoli ſtatuerunt apud Auctorem Apoſtolicarum Conſtitutionum lib. I. cap. v. Quamobrem S. Baſilius homilia in verba illa: *In principio erat Verbum*; cum proditam ſacris monumentis filii Dei memoriam

riam ſtupens intueretur, veluti exclamans pronuntiavit: *Omnis Euangeliorum vox reliquis omnibus Spiritus Sancti præceptis, atque doctrinis eminentior eſſe dignoſcitur*. Redditque rationem, quod in aliis per Prophetas ſervos; in Euangeliis ipſe per ſe Dominus nos allocutus eſt. Et quidem, addit Creſolius, nunc loquitur nobis, & unumquemque monet, ac potentiſſime inflammat ad omne genus honeſtatis; & quatuor Euangeliſtarum operibus, ut totidem fulcris ſublime ſibi ſuggeſtum effecit, & honoratam Cathedram, unde ſapientiam doceat. Hinc Sacerdos in Græcia divinis myſteriis operans, ut S. Chryſoſtomus in liturgia prodit, alte Euangelium attollens, magna voce dicebat, σοφία ὀρθή, *Sapientia recta*: quæ cauſſa fuit cur S. Cyprianus tractatu *De oratione*, Euangelia nominarit *magiſteria divina*; & S. Joannes Chryſoſtomus homilia IX. ad Coloſſenſes, *Magiſtros perpetuos*.

Lubet bina exempla deſcribere ex innumeris, quæ ad comprobandam Euangelicæ lectionis utilitatem aſtruere poſſent. S. Chryſanthus qui Romam multo ſuo, & ſuorum ſanguine purpuravit, lectione Euangelii aſſidua ab idolorum cultu converſus eſt ad Chriſtum; cum autem & Daria Conjux Chriſtianæ religioni ipſius opera nomen dediſſet, innumeros ille viros, hæc mulieres ad fidem, & caſtitatem allexerunt. Quocirca a Numeriano Imperatore poſt varia tormentorum genera vivi in terram defoſſi, & ſaxis obruti glorioſum martyrium obiere. Alterum exemplum eſt Beſſarionis Abbatis, quem ſemper Euangelium ſub axilla geſtaſſe, ut ex eo quid agendum foret, & qua ratione euangelice vivendum diſceret, teſtatur Palladius in hiſtoria Lauſiaca. Qui id etiam narrat quum Beſſarion in quemdam nudum pauperem incidiſſet, ſuis ſe veſtibus ſpoliaſſe, nudumque veſtiſſe; percontantibus autem, Quis te nudavit, oſten-

diſſe Euangelium, atque dixiſſe, *Hoc me exuit*. Rurſum quum in alium egenum incidiſſet, nec aliud haberet, quod tribueret, ipſum Euangelii codicem vendidiſſe, pretiumque egeno dediſſe. Quærenti vero Dulæ ejus diſcipulo, *Abba ubi tuum eſt Euangelium*, reſpondiſſe: *Ne triſtitia afficiaris, nam ut illic* (in Cœlo) *habeamus fiduciam, vendidi ipſum ſermonem, qui mihi ſemper dicebat*: Vende quæ habes, & da pauperibus.

Profecto adeo mirifice ſuum Chriſtus dictavit Euangelium, ut cuique hominum ætati, ſexui, gradui recte conveniat: quare nil mirum ſi S. Hieronymus Gaudentium inſtruens de Pacatulæ infantulæ educatione, puerulis etiam Euangelii lectionem præſcribat: *Cum virgunculam*, ait, *ſeptimus annus exceperit, diſcat memoriter Pſalterium, & Euangelia ſui cordis theſaurum faciat*. Porro mos olim fuit a noſtrorum temporum iniquitate quammaxime diſtans, ut parentes filios ſuos a teneris unguiculis Euangelii lectioni aſſuefacerent. Legimus enimvero in Menologio Græcorum ad diem XIX. Januarii, S. Joannem Calybitam adhuc puerum parentibus ſupplicaſſe, ut quando cæteri condiſcipuli Euangelia haberent, quæ legerent, ſibique turpe eſſe non habere, curarent etiam ſibi eum librum tradi. At vide eximiam pietatem genitorum: *Comparaverunt itaque*, inquit Menologium, *ei parentes pretioſum Euangeliorum codicem auro, & gemmis margaritiſque ornatum pretio quingentorum aureorum*.

Euangelii initia Catechumenis olim expoſita.

CAPUT XXII.

TAntis bonis per Euangelii lectionem aſſiduam importatis, ne illi, qui Chriſto erant daturi nomen, frau-

fraudarentur, matureque ad illam inflammarentur, moris fuit antiqui, ut catechizandis, & Chriſtianis moribus imbuendis hominibus quatuor Euangeliorum principia recitarentur. Meminit ejus ritus Beda Venerabilis II. De tabernaculis cap. XIII. dum ait: *Pulcher in ipſa Eccleſia mos antiquitus inolevit, ut qui catechizandi, & Chriſtianis ſunt Sacramentis initiandi quatuor Euangeliorum principia recitentur, ac de figuris, & ordine eorum erudirentur; quo ſciant exinde, ac meminerint qui, & quot ſint libri, quorum verbis maxime in fide veritatis debeant erudiri.* Fuſius hunc ritum quammaxime venerandum nos docet quintus Ordinis Romani libellus apud Hittorpium; quem ut brevitati conſulamus ſummatim proferimus. Ergo finita lectione ex Apoſtolo ad Coloſſenſes cap. III. *Fratres expoliantes vos veterem hominem &c.* procedebant quatuor Diaconi de ſacrario ſinguli ſingula Euangeliorum volumina deferentes. Hos præcedebant Acolyti cum duobus candelabris, thuribulo, & thure: poſitis deinde in ſingulis Altaris angulis ſacris voluminibus, Presbyter catechumenis exponebat, quid Euangelium, ac unde ortum, & cujus in eo verba ponantur, & quare quatuor ſint; qui hæc ſcripſerunt; vel qui ſint ipſi quatuor, qui divino ſpiritu annuntiante, a Propheta ſignati ſunt. De quibus omnibus nos primo libro ſermonem habuimus. Poſtea primus Diaconus ab Altaris primo angulo librum Euangeliorum accipiens præcedentibus duobus Ceroferariis, atque Thuriferariis aſcendebat ad legendum Euangelium ſecundum Matthæum; cujus initium eſt: *Liber generationis Jeſu Chriſti &c.* quo finito Subdiaconus linteo librum excipiens in ſacrarium deferebat; & ſic ad ſingula Euangelia. Alter interim Diaconus de ſecundo Altaris angulo aliud volumen ſumebat, legebatque in eodem loco, quo prior, & iiſdem cæremo-

niis initium Sancti Euangelii ſecundum Marcum; quod ita incipit: *Initium Euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei; ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce mitto Angelum, meum &c.* Tertius item, & Quartus Diaconus, de tertio, & quarto angulo Altaris, unus poſt alium librum ſumebat; & ille initium S. Euangelii ſecundum Lucam, quod incipit: *Fuit in diebus Herodis Sacerdos &c.* Iſte vero ſecundum Joannem: *In principio erat Verbum &c.* uti priores duo populo & catechumenis alte pronuntiabat. Atque hic erat antiquus ritus, quando ſcilicet Animarum Paſtores ſumma cum laude muneris ſui partes exequebantur. Hodierni mores eo devenerunt, ut Catholici fere omnes non modo ſacros hoſce ritus ad noſtram Religionem pertinentes; ſed, quod horrendum eſt, ac uberrimis lacrymis deplorandum, multi etiam licet ſenes præcipua fidei myſteria ignorent.

Euangelium ſorte apertum, lectumque, vel auditum ad indagandam Dei voluntatem, bonumque futurum, vel malum prænoſcendum.

CAPUT XXIII.

DIvinam exquirere voluntatem, futuraque prænoſcere per Euangelii apertionem mos olim fuit ad noſtra fere tempora ſervatus, non equidem ad eventus alicujus certitudinem, ſed ut opportuna aliqua ad bene agendum, pieque vivendum adhortatio, vel conſolatio providente Deo obtingeret. Hinc Heraclius Imperator quum adverſus Perſas bellum gereret, exercitu, ut ſcribit Cedrenus, per triduum luſtrato, & ad omnem, quantum licuit, ſanctitatem informato, rogavit Deum ut ad

ad Sacrorum Euangeliorum reſerationem acciperet quo ex Dei voluntate abeundum ſibi eſſet, accepitque ſibi in Albania hyemandum, quod & fecit. De S. Franciſco tradit S. Bonaventura in vita cap. XIII. ex apertione libri Euangeliorum facta ad inveſtigandam divinam voluntatem didiciſſe vocari ſe ad Chriſti Crucifixi expreſſionem. Similia de aliis Sanctis apud Metaphraſten, Surium, ſocioſque Bollandianos paſſim produntur. Quibus non officit S. Auguſtinus, qui eum uſum abſolute non rejicit, ſed tum quidem ſi terrenarum rerum cauſſa fiat; ejus verba in epiſtola CXIX. quam ſcripſit ad Januarium hæc ſunt: *Qui de paginis Euangelii ſortes legunt, etſi optandum eſt ut hoc potius faciant, quam ut ad dæmonia conſulenda concurrant; tamen etiam ipſa mihi diſplicet conſuetudo ad negotia ſæcularia, & ad hujus vitæ vanitatem propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere.* Sic Auguſtinus, qui certe non improbat ſortitionem ſententiarum e ſacris Euangeliis, quam potius admittit, cum agitur de rebus piis, ſed ſolum cupit ut ſacra ſacris dumtaxat inſerviant. Atque hoc modo intelligi poteſt Capitulare Caroli Magni decernentis, *Ut nullus in Pſalterio, vel Euangelio, vel in aliis rebus ſortiri præſumat, nec divinationes aliquas obſervare.* Ita pariter accipiendi ſunt Sacri Canones, ſi qui hujuſmodi ritui adverſari videantur. Porro ſi a probis paſſim viris abſque ſcrupulo, quin etiam magno cum fructu fieri id videmus, ut ex aureo Thomæ a Kempis libello, ubicumque ſors tulerit aperto ſententiam excipiant ad inſtructionem, & conſolationem præſenti animæ ſtatui congruentem, quanto magis ex divino Euangeliorum codice, ubi Chriſtus adeſſe cenſetur, & nobiſcum loqui dum legitur?

Ad hæc accedit uſum divinæ voluntatis exquirendæ ex fortuita Euangelii apertione a Sanctiſſimis viris non ſemel

ſemel fuiſſe acceptum, potiſſime in electionibus & conſecrationibus Epiſcoporum, ubi ſacro codice reſerato prima textus verba obſervabantur, ex quibus fauſtum, vel infauſtum omen priſci Chriſtifideles ſuſcipiebant. Legimus apud Surium die VIII. menſis Septembris. Quum Evortius Aurelianenſis Epiſcopus non ignoraret poſt ſuum ex hac vita diſceſſum futuras diſſenſiones de Succeſſore eligendo, habita ad Clerum & ad quoſdam proceres oratione, inſinuavit illis nullum ſibi munere digniorem videri Aniano Abbate, ac proinde ſe eos rogatos velle, ut in ſede collocare eum dignarentur. Verum Presbyteri quidam natalium ſplendore inflati, & Laici quoque id benignis haud auribus excepere. Antiſtes autem comperto hoc diſſenſionis incendio, rurſus Clerum, procereſque convocat; poſt plura ait: Tres, ut audio, ad hunc dignitatis gradum pertinaci contentione adſpirant; ſed cum tres, ut noſtis, una hac dignitate potiri non queant, reliquum eſt ut unum ex mente divina hoc munere digniſſimum eligatis. Quod ut fiat tres chartulas ſingulorum nomine inſcriptas in altare mittamus, peractiſque eras ſacrificiis, innocentem puerum adducamus, qui unam e tribus in medium producat; & ſi ne id quidem ſufficere videtur, Pſalteria, & Euangelia pariter proponantur, ut per ſortem electio Scripturis confirmetur. Placuit cunctis. Peraguntur vigiliæ, vota preceſque Deo nuncupantur, Miſſæ celebrantur, innocens adducitur puer, per quem & Dei mens, atque voluntas demonſtretur. Is ad extrahendas chartulas dexteram extendens, unamque digitis comprehendens, tamquam prophetans exclamat: *Anianus*, *Anianus*, *Anianus ſolus dignus eſt urbis hujus Antiſtes*. Aperitur deinde Pſalterium, ſtatimque offert ſe verſus ille: *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti Domine, inhabitabit in tabernaculo tuo*. Denique in Euangeliis hic textus occur-

currit : *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quibus evidentiſſimis admoniti documentis, cuncti Anianum deſignant Epiſcopum, eumque amplectuntur, quem divino teſtimonio comprobatum cernebant.

In ordinatione Athanaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani tradit Pachimera lib. II. cap. xv. verba illa occurriſſe : *Qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus*; quod improbis ejuſdem Patriarchæ actis vere comprobatum eſt; eaque de cauſſa ſede illa depulſus. Contra, in conſecratione Lanfranchi Cantuarienſis Archiepiſcopi apparuerunt verba : *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis* : qui Præſul in largiendo eleemoſynas fuit valde inſignis. Item in ejus Succeſſore S. Anſelmo, qui collapſæ diſciplinæ reſtituendæ cauſſa multos Epiſcopos adverſos habuit, quum ordinaretur, occurrere verba : *Vocavit multos* &c. Alia id generis exempla multa Eccleſiaſtici Scriptores produnt; ex quibus perperam nonnulli arbitrati ſunt ad ſortes inquirendas Euangelium in ordinatione Epiſcoporum adhiberi conſueviſſe; quos tamen merito perſtringit Bruno Signienſis Epiſcopus inquiens : *Non ad ſortes inquirendas, ut ſtulti opinantur, Euangeliorum liber ejus qui conſecratur humeris imponitur, ſed ut per hoc intelligat cui labori, & oneri ſubjiciatur, & pondus Euangelicæ prædicationis eum circumquaque ferre non pigeat.* Sic ille in libro de veſtiment. Epiſcop. cap. *Cur fiant prognoſtica in conſecratione Epiſcoporum.*

Quod tandem de fortuita Euangelii apertione, ac lectione dictum eſt, aſſerendum & de illius auditione, per quam plerique divinam voluntatem ſæpiſſime prænoverunt. S. Antonius, ut legitur in ejus vita ſcripta a S. Athanaſio, cum de ſæculo abjiciendo ſecum cogitaret, intravit Eccleſiam, acciditque ut tunc legeretur Euan-

Euangelium, in quo Dominus dicit ad divitem: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua quæcumque habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in Cælo.* Quo ille audito, quasi divinitus hujusmodi ante memoriam concepisset, & veluti propter se hæc esset scriptura recitata, Dominico est attractus imperio, statimque regressus, possessiones quas habebat vendidit. Erant autem ei trecentæ palmæ uberes, & valde opimæ, quas vicinis largitus est, ne in aliquo aut sibi, aut sorori molestia gigneretur. Cætera vero quæ in mobilibus possidebat, universa vendidit, & aggregato non exiguo pretio, indigentibus dedit; paucis tamen ob sororem reservatis, quæ & sexu, & ætate videbatur infirmior. Rursus autem Ecclesiam ingressus, cum audisset Dominum in Euangelio dicentem: *Nolite cogitare de crastino*, reliquam quoque portionem pauperibus distribuit. Hæc de magno Antonio S. Athanasius. De Babyla vero Mimo ita scribit Joannes Moschus in prato spirituali cap. XXXII. Is ab infami vita ad sanctos mores transiit, cum ingressus Ecclesiam, verba illa ex sacro Euangelio legi audisset, quæ tamquam divinum oraculum accepit: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cælorum.* Sed quid plura commemorem quum in vitis Sanctorum, apud veteres recentesque Scriptores innumera ejus rei extent exempla?

Per delectum codicis Euangelici in Martyrio constantia noscitur.

CAPUT XXIV.

CElebre factum est, dignumque ut hic describamus; quod de S. Marino Martyre narrat Eusebius Cæsareæ

reæ Epiſcopus libro VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. XIV. Iiſdem temporibus (anno ſcilicet CCLXII. ut ſupputat Cardinalis Baronius) cum pax in Eccleſiis ubique vigeret, Marinus unus ex his, qui in exercitu Romano magnum decus, & honorem fuiſſent conſequuti, vir & genere illuſtris, & divitiis locuples, propter teſtimonium Chriſti, Cæſareæ Palæſtinæ tali de cauſſa capite damnatus fuit. Eſt quidem honos apud Romanos, qui κλῖμα appellatur; quem qui adipiſcuntur eos Centuriones fieri ajunt. Euſebius utitur hac voce κλῖμα non ut interpres putavit, quod ejus nominis in militia ordo erat, ſed potius, ut ſentit Baronius ad annum Chriſti CCLXII. num. LXXVIII. quod cum κλῖμα idem ſit quod *ſcala*, ſeu gradatio; ille ſit ſenſus Euſebii, quod Marinus & tunc fuerit gradu ſeu ordine in militia collocatus, ut ad Centurionatum illi pateret aſcenſus. Sed cœptam hiſtoriam proſequamur. Cum locus vacaret, ordo poſtulabat, ut Marinus eo dignitatis gradu potiretur. Marinum igitur ad hunc honorem elatum, alius pro tribunali comparens in crimen vocat, tum quod erat Chriſtianus, tum quod Imperatoribus non immolavit: ac propterea, inquit, ex veterum legum inſtitutis illi non licet eum dignitatis gradum apud Romanos adipiſci, ſed illud quicquid eſt muneris, mihi jure impertiri debet. Unde Judex commotus (achivus hic erat genere) primo ſciſcitatus eſt cujuſnam ſententiæ, & religionis eſſet Marinus. Quem ut animadvertit, conſtanter ſe Chriſtianum eſſe confitentem, trium horarum ſpatium ei ad deliberandum dat. Hunc e judicio egreſſum Theotecnus, qui illic erat Epiſcopus ad ſe colloquendi cauſſa invitat, & apprehenſa manu, recta deducit in Eccleſiam. Quem cum interius ad ipſum Sanctuarium collocaviſſet; læva paululum in alteram partem dimota, gladium quo cingebatur oſtendit ſimulque divinorum Euangeliorum li-

brum afferens ex adverſo proponit: Præcepitque ut ex illis duobus, quod magis eſſet ex animi ſententia deligeret. Ubi vero abſque cunctatione porrecta manu dextera ſacrum librum accepit, Theotecnus ſic illum affatur: *Tene & adhæreſce Deo: ſic enim ab illo roboratus, quod in optatis eſt, pro certo aſſequere. Abi in pace.* Illum ſtatim inde redeuntem præco pro tribunali advocat: jam enim tempus illi præſtitutum ad deliberandum erat completum. Siſtit ſe pro tribunali. Qui cum majorem jam quam antea fidei ardorem, ac ſtudium declaraſſet, actutum inde, ut erat, ad mortem recta abductus, martyrio exceſſit e vita. Aſterius autem vir e Senatorum Romanorum numero cum Imperatoribus in primis charus, tum omnibus, & nobilitatis, & facultatum gratia conſpicuus in eadem Civitate propter divinam animi propenſionem, quam tam libere erga veram pietatem declaraſſet, omnium ſermone celebrabatur: qui cum Martyri ipſo mortis articulo præſto adeſſet, ſimulque atque e vita migrarat, cadaver tollit, ſplendida & pretioſa obtegit veſte, atque humeris impoſitum inde deportat, quod cum magnifico, & ſumptuoſo linteo involviſſet, decenti ſepulcro condidit. Hucuſque de martyrio, & ſepultura Marini Euſebius.

Per Euangelici Codicis delectum inter pretioſa monilia & armillas explorata puellæ Virginis futura Sanctitas.

CAPUT XXV.

WIllelmus Mabaesburienſis hanc rem ſpecioſiſſimo exemplo comprobat libro ſecundo de geſtis Regum Anglorum capite XII. Hedberga, inquit, cum

tri-

trima eſſet ſpectabile futuræ ſanctitatis dedit periculum. Explorare volebat Pater, utrum ad Deum an ad ſæculum declinatura eſſet puſiola: poſueratque in triclinio diverſarum profeſſionum ornamenta; hinc codicem & Euangelia, inde armillas & monilia. Illuc Virguncula ulnis nutricis blandientis allata, genibus parentis aſſedit: rogataque utrum vellet, eligeret; torvo aſpectu ſæcularia reſpuens prompteque manibus raptans, Euangelia, & Codicem illa puellari adoravit innocentia. Exclamat aſſidentium cœtus. Auſpicium futuræ ſanctitatis in puella: quam exoſculans pater ipſe, arctioribus baſiis dignatus ſobolem, Vade, inquit, quo te vocat divinitas: ſequere fauſto pede quem elegiſti ſponſum. Et profecto & ego, & conjux felices erimus, ſi a filia religione victi fuerimus. Ita Sanctimonialium habitu induta cunctas ſodales ad amorem ſuum in urbe Winctonæ ſedulitate obſequii invitabat.

Euangelii lectio atque explicatio ad diſcernendum ſpiritum aliquando præcepta.

CAPUT XXVI.

INter alia dona cæleſtia, quibus Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam locupletavit eſt diſcretio ſpirituum, cujus dono hominum cogitationes, atque actiones cognoſcuntur, an ſcilicet a natura, vel Dæmonis inſtinctu, an vero a divino Numine proficiſcantur. Sane multos produnt hiſtoriæ, qui vel naturæ viribus, aut Diaboli ope mira patrantes, ementita pietate homines etiam ſapientiſſimos fefellere. Hinc cum venerabilis Virgo Franciſca de Serrone Septempedana præſtantibus virtutibus eniteret, frequentia e Cœlo exciperet viſa, ac maxima operaretur prodigia; Epiſcopus Diaboli illu-

ſionem metuens, inter cætera experimenta, quibus ſpiritum virginis exploravit, Euangelium quoque illi legendum, atque explicandum propoſuit; quod pia Virgo, quamvis literas numquam didiciſſet, quippe quæ humili loco nata, labore manuum victitabat; mirum tamen in modum coram hominum ſelectorum cœtu, cunctis ſtupentibus, fuit interpretata; quamobrem ſublato diabolicæ illuſionis timore, cœpit Franciſcæ ſanctitas tum ab Epiſcopo, tum ab aliis ſummopere celebrari. Cujus cauſam beatificationis, & canonizationis, ut vocant, Septempedanæ Civitatis nomine apud Apoſtolicam Sedem nunc promovet vir clariſſimus, amicus noſter Bernardus Gentili Patritius Septempedanus.

Euangelii codex e lectis Chriſtianorum ſuſpenſus.

CAPUT XXVII.

QUemadmodum olim Gentiles ad ſui cuſtodiam gladios lectulis, in quibus decumbebant appendere conſueverunt, ita veteres Chriſtiani contra nocturnas antiqui hoſtis inſidias, & illuſiones divina Euangelia ſuſpendebant, quibus longe fortius ſtratum ſuum inſtruendum curabant, quam ſapientiſſimus Salomon, cujus *lectulum*, ut habemus in Canticis canticorum capite III. *Sexaginta fortes ambiebant ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi*: Morem Chriſtianorum ita laudat S. Joannes Chryſoſtomus, ut alia etiam requirat, vitæ ſcilicet ſanctitatem, puritatem & morum innocentiam, aliaſque virtutes in Euangelio contentas; alioquin ait nudam Euangelii ſuſpenſionem parum utilitatis eſſe allaturam. Verba Sancti Doctoris homilia XLIII. in primam Pauli Epiſtolam

ſtolam ad Corinthios ſunt hujuſmodi : *Si Euangelium quidem ſuſpenderis, nihil faciens, non adeo magnam accipies utilitatem.* Docet injungendam eſſe eleemoſynam, ac in pauperes beneficentiam : *Hanc autem*, inquit, *habens arculam, habes arma adverſus Diabolum, precationem reddis alatam, ſanctam domum conſtruis, quæ habet alimenta regis intus recondita; ideo & juxta lectum ſit arcula, noxque nuſquam perturbabitur viſis, & inſomniis.* Ita Chryſoſtomus; a cujus tamen ſalutari conſilio multum aberrant tot mulierculæ, quidam etiam pravi homines, qui non Euangelium, neque pecuniam pauperibus erogandam lecto apponunt, ſed proh ſcelus! chartas nominum, ac numerorum ludi ſortis, quem *lotto di Genova* appellant, nummoſque periculo exponendos, ſuperſtitioſe contra jus divinum, & edicta præſertim Regnantis Summi Pontificis, pulvinaribus ſuis ſupponunt, ut ita eligendum numerum, nomenque ſomniantes, ſummam jam aureorum quantitatem nactos eſſe certo ſperent; ſed audi Regium Prophetam illos irridentem Pſalmo LXXV. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.*

Sacra Euangelii pagina e collis Chriſti-fidelium ſuſpenſa.

CAPUT XXVIII.

ACcedit ad veteris obſervantiæ commendationem quod multi ad collum Euangelium ſuſpenderent præſertim pueri ac mulieres; quod providiſſe videtur Sapiens qui Proverbiorum capite III. de ſacris legibus ita monet : *Circumda eas gutturi tuo.* In Hebræo : *liga eas ſuper collo tuo*; videlicet ut explicat Cardinalis Cajetanus, ad inſtar colligantis pendulum aliquod ex utraque

que colli parte ante pectus, ut ſemper habeantur præ oculis. Sane morem Chriſtianorum ferendi ſuſpenſum e collo Euangelium Sancti Patres non ſemel commemorant, quem videbant ad alendam, amplificandamque pietatem plurimum valuiſſe. Eumque commendare videtur Sanctus Clemens Alexandrinus, dum ita Gentiles alloquitur: *Qui præſtigiatoribus fidem adhibent, amuleta & incantationes accipiunt, ut ſalutares; Vos autem ne ipſum quidem Verbum cæleſte concilianſque ſalutem vultis vobis ad collum alligare, & Dei credentes incantationi liberari.* Expreſſius S. Joannes Chryſoſtomus homilia LXXII. in Matthæum. *Multæ hoc tempore mulieres ſuſpenſa habent e collo Euangelia.* Iſidorus vero Peluſiota in epiſtola ad Epimachium libro II. epiſtola CL. hæc habet: *Scias phylacteria exiguos fuiſſe libellos, qui legem continebant, quos Judæorum magiſtri ferebant, quemadmodum nunc uxores parva Euangelia*; ideſt, inquit Creſolius, non totum Euangeliorum librum minutis literis ſcriptum, ſed dumtaxat partem, qualem etiam in muneribus fuiſſe videmus, quæ Pontifices ad Dynaſtas, & clariſſimos Reges mittebant phylacteriis, ſive capſis pretioſis ornata. S. Gregorius Magnus, Pontifex Maximus libro XII. epiſtola VII. lectionem Euangelii nominat dum ita ſcribit: *Adulovaldo Regi tranſmittere phylacteria curavimus, ideſt Crucem cum ligno Sanctæ Crucis Domini, & lectionem Sancti Euangelii theca Perſica incluſam.*

Neque vero quiſquam objiciat morem illum ſuſpendendi ad collum Euangelium reprehenſum potius quam commendatum fuiſſe, potiſſimum vero a S. Hieronymo, qui in Matthæum XXIII. poſt incuſatos Hebræos phylacteria gerentes, ſic anilem, ut ipſe dicit, Chriſtianorum ſuperſtitionem ſugillat: *Hoc apud nos ſuperſtitioſæ mulierculæ in parvis Euangeliis, & in Crucis ligno, & iſtiuſ-*

iſtiuſmodi rebus, quæ habent quidem zelum Dei ſed non ſecundum ſcientiam, uſque hodie factitant, culicem liquantes, & camelum glutientes. Sed quis non videt laudatos Patres, illos quidem improbare, qui judaica vanitate ad pompam quandam, & inanem gloriam Euangelia ad colla ſuſpendebant; & cum multis vitiorum ſordibus commacularentur, quid Euangelium diceret, non attendebant. Bona per ſe res eſt, ut docet Angelicus Doctor II. II. quæſt. LXXXXVI. art. IV. atque laudabilis, ſi ex fide & devotione, ac abſque omni ſuperſtitione fiat; quinimo ad reverentiam, & honorem Euangelii pertinere manifeſtum eſt. Nec video, (ut Joannis Haye verbis utar), cur id factum non poſſimus in meliorem partem interpretari, non tamquam amuletum ex ſuperſtitione a veteribus geſtatum, ſed tamquam fidei ſymbolum; quemadmodum ſi quæ vulgo Roſaria vocant, quibus precari Sacram Virginem Mariam ſolemus, loco torquis ad collum geras, ut oſtendas te non gentilem, ſed Chriſtianum; non hæreticum, ſed Catholicum eſſe; quod hodie multi laudabiliter, & religioſe faciunt. Cæterum juvabit hic miraculum adſcribere, quod ad rem noſtram refert Maffæus hiſtoriarum Indicarum Scriptor illuſtris. Mulier, inquit, propemodum obſeſſa, ſpectriſque horrificis agitata, in ultimum venerat vitæ diſcrimen; evocatus a Marito P. Gaſpar noſtræ Societatis Presbyter, ut afflictæ, & exangui manus imponeret; per occupationes ipſe tum quidem adire non potuit; cæterum ſchedulam inſcripto S. Joannis Euangelio pro ſe miſit, quam peſti amovendæ mulier e collo ſuſpenderet; id ubi factum, confeſtim levata morbo, terroribuſque ſoluta ſurrexit. Itaque ſancta, pia, ac utilis eſt conſuetudo ad collum ferendi Euangelium, niſi aliqua accedente ſuperſtitione labefactetur.

Euan-

Euangelium a Chriſtianis geſtatum Martyres facit, a naufragio liberat, Virginitatem ſervat, luxuriam domat.

CAPUT XXIX.

IN feliciſſimis illis temporibus, quibus Chriſtiana florebat Religio, omnes fere viri, ac mulieres Euangelium pro comite, fidoque præſidio ſecum geſtabant. Huc ſpectant, quæ paſſim Romæ in cœmeteriis præſertim, & alibi occurrunt picturæ veteres Virginum, ac virorum librum ornatum gemmis geſtantium, ideſt divinum Euangelii codicem. Perpetuo illum ferebat Sanctiſſima Virgo Cæcilia; neque ignis, gladii, aut equulei extorquere potuerunt; quin per ipſum Virginitatis ac Martyrii palmam fuerit aſſequuta; itemque Valerianum Sponſum, Fratremque Tiburtium, pluresque alios ad eandem erudierit, atque efformaverit; ut de ea merito canat Eccleſia: *Cæcilia famula tua Domine quaſi apis tibi argumentoſa deſervit.* Quid dicam de aliis Chriſtifidelibus, qui ſecum Euangelium geſtantes, mirabiles ejus virtutes experti ſunt? S. Paulinus ait Martianum navigantem habuiſſe novum Teſtamentum, cujus vi & veluti numine a naufragio liberatus fuit. Mirabilius eſt quod de S. Virgine ac Martyre Theophila a longe graviori, caſtitatis nimirum naufragio liberata narrant ipſius acta apud Cardinalem Baronium Anno Chriſti CCCI. num. XXXIII. his verbis „ Cum illa eſſet vultu adeo formoſa, traheretur autem a lictoribus, & jam ad probri, & contumeliæ officinam violenter introduceretur; manus ſimul & oculos in Cælum tollens, & miſerabiliter aſpiciens, Mi Jeſu, dixit, meus amor, mea lux, meus ſpiritus meus cuſtos caſtitatis & vitæ, vide eam quæ eſt tibi deſpon-

ſponſa. Vide o ſponſe in quem nulla cadit reprehenſio, & feſtina; quoniam non eſt quidem tempus precandi, ne pactum conventum fallam, ne prodas me beſtiis, ne lupi tuam pecudem lanient; ſerva ſponſe ſponſam: meam conſervà caſtitatem, fons caſtitatis, ut tuum quoque nomen nunc maxime glorificetur, quod intelligenter glorificatur ab Angelis.

Hæc illa quidem oravit cum lacrymis: effectum autem Deus reddidit. Sed eſt adhibendus animus narrationi. Introducitur Virgo ad proſtibulum; illa vero etiam in tali loco, & tempore, non eſt oblita eorum quæ oportuit; ſed protinus eruens id quod habebat in ſinu (id autem erat ſacroſanctum Euangelium) aperuit, & dat operam lectioni. Unus vero ex intemperantibus œſtro inſano percitus ad eam ingreditur; qui aliquantiſper quidem eam audivit legentem. Cum autem jam prope eſſet, a maximo metu invaditur, & tremore valde agitatur, & humi procumbit mortuus; & ſic jacebat ad pedes Theophilæ non ſpirans. Multæ horæ præterierant; & cum aliis viſum eſſet, quoniam non exibat, eum non poſſe ſatiari Virgine: ubi alius quoque ingreditur, ipſe quoque jam prope ſtans, lucis quidem quæ verbis exprimi non poteſt, fulgore illuſtratur: deinde eum a luce tenebræ excipiunt, & obtutu orbatus, quærebat obiens non amplius Virginem, ſed quemadmodum citra offenſionem exiret extra fores. Cum autem multi quidem talia paſſi eſſent, & nonnulli etiam magis horribilia: nulli fuit amplius cordi ingredi. Sed & ſiquis ingrediebatur, non ingrediebatur captus amore, ſed ſolum volens ſcire ea quæ facta fuerant. Poſtquam autem ingreſſi ſunt complures, vident ea quæ & ad videndum erant terribilia, & ad dicendum aliis maxime admirabilia: Puellam quidem honeſte ſedentem, & libro (ideſt Euangelii) incumbentem: adoleſcentem autem

tem quendam prope eam ſtantem luce quidem ineffabili, pulchritudine vero incredibili, veluti quædam tela fulguris emittentem ex oculis. Hæc poſtquam viderunt, & metu obriguerunt, & vix tandem, *Quis eſt ſicut Chriſtianorum Deus?* exclamáverunt: & ſimul non ferentes ſpectaculum, recte ſecum agi putabant ſi fugerent, & celeritate maxima domo exibant, omnes quidem obliti libidinis, nonnulli autem etiam ipſa impietate abjurata. Ita S. Theophilæ acta apud laudatum Baronium. Simile alii referunt de Trophima Virgine.

Ex S. Andreæ Apoſtoli actis (ſi vera ſunt quæ refert Auctor nomine Abdiæ) videtur Apoſtolorum ævo id uſurpatum, ut fideles ſacrum Euangelii Codicem tamquam frænum circumferrent, quod laſcivientis carnis motus coerceret, ejuſque impuros appetitus reprimeret. Euangelium enim carnis impetum, carnaleſque appetitus coercere luculentiſſime docet S. Petrus Damiani libro VI. epiſt. XXII. *Per Zachariam dicitur*, In die illa erit, quod ſuper frænum equi eſt, ſanctum Domino vocabitur: *Frænum equi ſanctum eſt Euangelium, quod ubique carnalis deſiderii velut infrænis equi cohibet appetitum*. Hinc de quodam ſene tempore S. Andreæ Apoſtoli vivente ita ſcribit Petrus de Natalibus libro I. cap. VIII. Senex quidam Nicolaus venit ad Apoſtolum Andream, dicens ſeptuaginta annis quibus vixerat, continere ſe non potuiſſe, ſemper luxuriæ deſerviſſe, & quod aliquando ad carnis concupiſcentiam refrænandam *Euangelium* ſuper ſe ferebat; & dum lupanar intraſſet, oblitus *Euangelium* deponere, audivit a meretrice quod videbat mirabilia, quæ etiam ſe ab illo tangi non permiſit.

Euan-

Euangelium ignem extinguit, & barbaros ad Chriſtum convertit.

CAPUT XXX.

POſtquam perſpicuis exemplis oſtendimus Euangelii virtute frænatam fuiſſe luxuriam, quæ ut ait Beatus Job cap. xxxi. *ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & eradicans omnia genimina*; mirandum nemini videri debet, ſi materialem ignem ſexcenties reſtinxerit. Refert Nicephorus lib. v. *Hiſtoriæ* cap. xxi. cum jam flamma ſerpens Eccleſiæ S. Anaſtaſiæ appropinquaret, accepto in manus ſacro Euangelii Codice per tegulas in tectum conſcendiſſe; precibuſque, & lacrymis illæſam ab incendio ſervaſſe. Item quum Arvernorum Urbs igne conflagraret, teſte S. Gregorio Turonenſi *De vitis Patrum* cap. vi. S. Gallus Eccleſiam ingreſſus diutiſſime ante ſacrum Altare Deum exoravit; ſurgenſque apprehenſo Euangeliorum Codice, eoque aperto obviam ſe flammis obtulit; ſubitoque incendium extinctum eſt, ut ne favillæ quidem remanerent. Admirabiliſſimum vero omnium miraculorum, quæ huc referri poſſunt illud videtur, Euangeliorum librum a Roſſis in fornacem projectum, ac ſervatum illæſum iiſdem cauſſam extitiſſe prodigioſæ converſionis ad Chriſtum. Factum ſic narrant Cedrenus, & Zonaras. Miſſus fuerat ad Roſſos a Baſilio Macedone Orientis Imperatore Epiſcopus ut eos Chriſto adduceret; Proceres ejus gentis cum Principe & univerſo Populo Pontificem in Concilium eorum vocatum interrogant, quidnam eos docturus eſſet? Profert Epiſcopus ſacrum *Euangelii* librum, & quædam miracula exponit a Chriſto edita; Ibi Roſſus negare ſe aut ſuos ipſi fidem ullo modo habituros, niſi aliquid horum, præſertim ſervatorum in flagranti camino trium

puerorum ſimile vidiſſent. Ad hæc Pontifex: *Tametſi*, inquit, *Deum tentare fas non ſit, tamen ſi animo ſtatuiſtis ad Deum vos conferre, poſtulate quod vultis*. Ii confeſtim poſtularunt, ut codex *Euangelii* in rogum ſuccenſum mitteretur, promittentes ſe eo incolumi manente, Deo quem ipſe prædicaret, nomen daturos. Accepta conditione Pontifex orationem ad Deum convertit, orans Jeſum ut ſui nominis gloriam affereret. Conjicitur liber in caminum; caminus per multas horas ardens tandem extinguitur; liber vero incolumis illæſuſque reperitur. Quo miraculo permoti barbari, omni dubitatione abjecta ad baptiſmum confugere.

Euangelium corporis morbos, & animi languores pellit.

CAPUT XXXI.

NEc ille minus pius, religioſuſque videri debet ritus, quo olim priſci fideles Euangelium ægri, & in lecto jacentis capiti admovebant. S. Auguſtinus ſacro Euangelii Codici tantam virtutem tribuit, ut non animi tantum, ſed & corporis morbos ab eo depelli poſſe autumet, ſi cum fide adhibeatur. *Cum caput*, inquit tractatu VII. in Joannem, *tibi dolet, laudamus ſi Euangelium ad caput tibi appoſueris*. Rationem ejus rei tradit Angelicus Doctor II. II. quæſt. LXXXXVI. art. IV. quum ait: *Verbum Dei non eſt minoris efficaciæ, quam Reliquiæ Sanctorum, ſed Reliquiis utimur ad ſalutem, ergo pari modo imo majori ad eandem licet uti verbo Dei ſcripto, ſive Euangelio*. Atque hinc fortaſſe multi olim Chriſtiani ſecum gerere Euangelium ſolebant, ut nimirum ejus præſidio depellerent etiam mala, quæ corpora afficiebant, venena, veneficia, & id genus alia. Sane Euangelii

gelii Codicem ægrotis imponi consueviſſe ad ſanitatem recuperandam teſtatur Joannes Saresburienſis libro II. de nugis curialium cap. I. hoc exemplo. *Chuthbertus ſignifer quidem gentis noſtræ in lege Domini Euangelium Joannis ſuperimponebat infirmis, & curabantur.* Initium ejuſdem S. Joannis Euangelii ſuper ægros legi ſolitum, ſicut hodie in Hiſpaniis, ac Neapolitano Regno aliiſque locis ex Ritualis Romani præſcripto paſſim uſurpatum, indicant hæc verba Cæſarii lib. v. cap. XLIV. *Ipſam ſicut mihi retulit beatæ memoriæ Domina Elizabeth ejuſdem Cœnobii Abbatiſſa, ſorores in lecto ſuo ponentes, ac principium Euangelii S. Joannis ſuper eam legentes, mane regyratam invenerunt*; ideſt innixam ſuper cubitum.

Sed longe efficacior, ac certior eſt virtus S. Euangelii contra morbos animi, contra cogitationes malas, aliaque cujuſvis generis peccata; quæ ut docet in Euangelio Chriſtus Dominus Matthæi cap. xv. de corde exeunt; quocirca conſulit S. Auguſtinus ut etiam ad cor Euangelium admoveatur ad peccati vim exhauriendam. *Si ergo*, inquit tractatu VII. in Joannem, *ad caput ponitur ut quieſcat dolor capitis, ad cor non ponitur ut ſanetur a peccatis? Fiat ergo. Quid fiat? Ponatur ad cor, ſanetur cor.* Verum ea eſt cæcitas hominum, ut parum de animi languoribus curantes, nihil intentatum relinquant ad recuperandam corporis ſanitatem, cum alias melius iis eſſet lecto infirmos decumbere, quam ſanos omni ſcelerum genere ſe inquinare. Egregia ſunt in hanc rem verba ejuſdem Sancti Doctoris ſic ajentis: Bonum eſt bonum, ut de ſalute corporis non ſatagas, niſi a Deo illam petas. Si ſcit tibi prodeſſe dabit illam. Quam multi ægrotant in lecto innocentes, etſi ſani fuerint procedunt ad ſcelera committenda? Quam multis obeſt ſanitas? Latro qui procedit ad faucem occidere hominem, quanto illi melius erat ut ægrotaret? Qui noctu ſurgit

ad

ad fodiendum parietem alienum, quanto illi melius erat, si febribus jactaretur? innocentius ægrotaret, sceleratе sanus est. Novit ergo Deus quod nobis expediat; id agamus tantum, ut cor nostrum sanum sit a peccatis, & quando forte flagellamur in corpore, illum deprecemur.

Lecto Patri Euangelio filius cæcus visum recipit.

CAPUT XXXII.

INter gratias curationum interceſſione Sancti Juventii Martyris ex Mss. Gallicis Caſæ Dei celebre hoc Euangelii miraculum narratur apud Bollandianos ad diem primam menſis Junii. Die XII. Julii anno MDCLXVII. comparuit coram nobis, notus a probitate & fide Nicolaus Maloiſel hujus Parochiæ Caſæ Dei ſubditus; qui modo prædicto juratus aſſeruit, quod filiolus ſuus trimulus Thomas, factus fuerit cæcus die XXVI. Junii præcedenti, defluente in ejus oculos humore noxio: quamobrem ad S. Juventium recurſu habito, die viſitanti Eliſabetham Virgini ſacro, petierit ſupra ſe in perſona filii recitari Euangelium S. Martyris. Hoc autem facto domum regreſſus reperit puerum uno jam oculo videntem. Cumque ab uxore & pluribus, qui iſthic opus faciebant mercenariis, quæſiviſſet horam, & modum, quo illuminatus puer eo oculo fuerat; intellexit id eodem momento contigiſſe, quo Euangelium ſuper ſe fecerat pronuntiari. Tertio autem die poſt, cœpit etiam altero oculo videre puer: adeo ut nunc ambobus, ſine ullo vel minimo impedimento utatur; in cujus rei fidem ipſe chirographum ſuum hic appoſuit. Alia exempla adtexere ſupervacaneum puto. Eſt etenim Euangelium, ex Apoſtolo ad Romanos ſcribente, *Virtus in ſalutem omni credenti*; vel ut docet Sanctus

ctus Joannes Chryſoſtomus, *Officina Medicinalis*, ubi morbi omnes, & mala cuncta gratis curantur.

Euangelicus codex aquis demerſus, nulla litera violatus pulchrior educitur.

CAPUT XXXIII.

QUi S. Cronani Abbatis Roſcreenſis in Hibernia fido calamo geſta conſcripſit, hujuſmodi prodigium enarrat apud Bollandianos ad diem XXVIII. Aprilis. Euangelium apertum a S. Cronano in ſtagnum delapſum eſt, fuitque in profundo lacus quadraginta diebus, & noctibus, de cujus ſubmerſione vir Dei devotus plurimum fuit perturbatus; ſed Dei miſericordia factum eſt, ut non multum poſt temporis Euangelium illud eſſet inventum & in nulla litera violatum. Simile miraculum prodit Turgotus libro ſecundo hiſtoriæ Dunelmenſis, ubi deſcribens translationem corporis S. Gutberti in Hiberniam propter immites Danorum incurſiones, hæc habet: Dum navis verteretur in latera, cadens ex ea textus *Euangeliorum* auro gemmiſque perornatus in maris ferebatur profunda; & pergentes triduo poſt ad mare, multo quam conſueverat longius receſſiſſe conſpiciunt; & tribus, vel eo amplius miliaribus gradientes ipſum *S. Euangelii* codicem reperiunt; qui ita forinſecus gemmis, & auro ſui decorem, ita intrinſecus literis & foliis priorem præſeferebat pulchritudinem, ac ſi ab aqua minime tactus fuiſſet: unde poſtea maximo cultu, & nitore in Eccleſia Dunelmenſi ſervatus fuit. De codice etiam Euangelii gemmis auroque exornato, quo utebatur S. Margarita Scotiæ Regina, ſcribit auctor ipſius vitæ, eum aliquando Cuſtodis negligentia in aquas decidiſſe, & licet per diem ac noctem ſub undis

undis jacuiſſet, extractum tamen nihil læſum inventume ſſe.

Euangelium diſcordias ſedat; Tyrannorum impetus comprimit.

CAPUT XXXIV.

NUllum arbitror in Eccleſiaſtica hiſtoria ita parum verſatum, qui neſciat neminem prope fuiſſe Chriſtianis imbutum legibus, qui non viſo Euangelio, (quod non immerito pacis vocat Apoſtolus) furentis animi impetum, ſacroque perfuſus horrore iram mitigaret. Tempore Conſtantini Summi Pontificis, teſte Anaſtaſio in ejus vita, quum Romæ inter Principes domeſticum bellum eſſet exortum, & multi vulneribus confecti concidiſſent, Pontifex ut communis omnium Parens miſit Sacerdotes cum *Euangeliis*, & Crucibus Domini; ita ſubito motus illi turbolenti ſunt repreſſi. Conſtantinopoli quoque idipſum fieri ſolitum teſtatus eſt Zonaras. Quum enim in ea Urbe ſeditio non ſine plurimorum hominum pernicie ſuborta eſſet, & in medium forum prorupiſſet, ad ſedandam illam, ait Auctor Sacerdotes in furentium cuneos penetraſſe ferentes ſacratiſſimos *Euangeliorum* Codices. Quis autem Totilam Gothorum Regem crudeliſſimum, in Romanos ſævientem, & in Eccleſiæ perniciem imminentem ad manſuetudinem adduxit, ne illos occideret, niſi Pelagius geſtans in manibus *Euangelium*? Oreſtem quoque præfectum Alexandriæ furentem audacia, quum vellet Cyrillus Alexandrinus ad lenitatem revocare, ipſum adiit *Euangelium* proferens; quippe qui, ut ait Socrates lib. VII. *Hiſtoriæ* cap. XIII. reveriturum illum exiſtimaret id pignus eximiæ ſanctitatis.

Se-

Septem Euangelia a totidem Sacerdotibus apud Græcos recitata in Officio S. Olei, quod pro conferenda ægrotanti extrema unctione domi, vel in Ecclesia celebratur. Codex Euangelii super ungendi caput primum impositus, ipsi deinde osculandus porrigitur.

CAPUT XXXV.

Dicet fortasse quispiam: Domi quidem ægrotantes hac sacra unctione, & relevari, & communiri posse intelligo: in Ecclesiam verò cum soli valentes se conferant, qua ratione Sacramentum hoc potest illis conferri? Difficultatem diluit vir doctissimus Jacobus Goar in notis ad hoc Officium: Ægroti, inquit, plerique aliorum manibus, & ope ad Ecclesiam se deferri student, ut sacrorum præsentia, & animo levamen, & corpori miraculi alicujus experimentum in recuperanda salute obveniat, ibique plurium nonnumquam dierum spatio in Catechumenæis jacent, pernoctant, morantur, & sacra tandem unctione sibi remedium exposcunt; quod si Arcudius advertisset, non tam levi causa sanos in Ecclesia, ac ægrotos in domibus hoc se Sacramento communire solitos asseruisset.

Cur autem ipsi Sacramento conferendo septem Sacerdotes apud Græcos hodie assistunt, totidemque olim apud Latinos, Hugone Menardo in Gregoriani Sacramentarii notis teste adstabant? rationem suggerit Simeon Thessalonicensis; qui licet tres etiam Sacerdotes, ubi modica est eorum copia, a sacris plerisque ternariis numeri petita ratione sufficere arbitretur, ab errore ta-

men gravi nullatenus excusari potest, ubi unum solum absque aliorum ope, vel societate Sacramentum hoc non posse conferri, impie asserit. Ea namque potestas, ut passim docent Sacri Theologi, in uno solo legitimo Ecclesiæ ministro, ac plebis Christianæ pastore residet, quamvis tanti Sacramenti reverentia, & antiquorum Ecclesiæ morum imitatio plures expetere videantur. Imo & olim adfuisse tum ex S. Gregorii Sacramentario, tum ex aliis vetustissimis ordinibus, Hugonis Menardi opera vulgatis edocemur: id olim religiose sanxit Gregorius III. Pontifex Maximus. *Cum reverentia*, inquit, *deferatur oleum ad infirmos & eos ungant Sacerdotes cum magno honore, & orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ*. Priscum illum numquam laudatum satis morem S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanensi IV. innovavit. Titulo, *Quæ pertinent ad extremam unctionem*.

Ritus quo Græci utuntur in hoc ministrando Sacramento consistit in prolixa recitatione piarum precum, Canticorum, septem Epistolarum, totidemque Euangeliorum, quæ simulatque recitata sunt a singulis Sacerdotibus, *in medium ipsorum*, ait Rituale Græcum, *ingreditur qui extremam unctionem suscipit, & acceptum S. Euangelium ponit super caput ejus Sacerdotum præcipuus, & manus illi Sacerdotes alii imponunt*. His peractis, recitatâque pia oratione a Sacerdotum Præside, subdit Rituale græcum: *Et osculatur Euangelium*. Ab antiquo Euangelium ægrotis impositum memorat Alphonsus Tostatus quæstione XXXIV. *Præfatione in Matthæum*: & ejusmodi ritus exemplum in Elisæo baculum ad Sunamitidis filium a mortuis exuscitandum mittente contemplatur: Deumque tum ob astantium fidem firmandam, sive approbandam, vel reverentiam, cultumque verbis suis exhibitum, miracula plura nonnumquam ægro-

ægrotos ſanando patraſſe aſſerit. Alia vero ratio ejuſdem inſtituti, ut ſapienter advertit laudatus Goar, ex oratione ſequenti, a qua ſemper ſacrorum rituum ſenſus ſumendus eſt, legenti conſtat. Ut Chriſtus videlicet, Dei Verbum in Euangelio miranda ejus opera enarrante, manu ſua omnipotenti extenſa (Sacerdos enim ejus vice manum cum ſociis Euangelio ſuperponit) obſecrantis infirmi peccata deleat, veniamque concedat.

Euangelium morientibus lectum.

CAPUT XXXVI.

SI unquam Chriſtiani homines contra generis humani hoſtis inſidias auxilio indigent, id profecto tempore vitæ extremo accidit, cum diabolus habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet, omnes intendit nervos ut in deſperationem miſeros languentes adigat; quocirca ut per conſolationem Scripturarum ſpem habeamus, vetus eſt ac pius a primis Eccleſiæ ad noſtra tempora ſervatus uſus legendi morientibus Euangelium. De Sancta Martha ſorore Lazari ac Magdalenæ ſcribit Marulus lib. v. cap. x. quod *Euangelium* Dominicæ Paſſionis a S. Luca deſcriptum legi ſibi fecerit. Apud Surium in vita S. Amati Abbatis Monaſterii Romerici ad diem XIII. Septembris, ſic legitur: *Tandem fratribus congregatis, & Euangelia & Pſalmos & Hymnos ad ejus lectulum decantantibus, veniam ab omnibus petens, omnibuſque vale dicens migravit ad Dominum anno* DCLX. S. Bonaventura deſcribens obitum S. Franciſci hæc ait. *Juſſit Deo vir chariſſimus Euangeliorum ſibi codicem apportari & Euangelium ſecundum Joannem, quod incipit ab eo loco:* Ante diem feſtum Paſchæ, *legi ſibi popoſcit.*

Fuiſſe in uſu ut potiſſimum illa Euangelii portio,

quæ Dominicam exhibet Paſſionem, morientibus legeretur, fidem faciunt Rituale Romanum, atque antiqui Monachorum ritus a doctiſſimo viro Edmundo Martene editi; ubi ſtatuta Lanfranci ita decernunt: *Si ad ſanitatem minime redire, mortique potius appropinquare dignoſcitur, ex quo certa in eo mortis ſigna apparere incœperint, ſine duobus fratribus eſſe non debet, qui diebus, & noctibus quandiu intellectum tenet, legant coram eo Paſſiones Domini & Euangelia.* Id ipſum teſtantur manuſcriptæ conſuetudines Monaſterii Cluniacenſis, ac Rituale manuſcriptum S. Benigni Divionenſis, nec non Breviarium manuſcriptum S. Germani a Pratis apud memoratum Martene. Breviarium quoque Caſſinenſis Monaſterii tempore Oderiſii Abbatis deſcriptum agens de officio circa morientem, ſic ait: *Deinde legantur ante eum Paſſiones Domini.* Exempla innumera extant tum vetera, tum recentiora in libro quem pius vir Joannes Severanus Sanctoſeverinas Congregationis Oratorii presbyter inſcripſit: *Pretioſæ mortes Juſtorum.* De S. Frodoberto Abbate Cellenſi ejus vitæ auctor ita teſtatur: *Univerſos denique jubet adeſſe diſcipulos, dumque ante eum textus Paſſionis legeretur Dominicæ, ſub oculis omnium S. Anima, carnis exuta velamine felici cœleſtia penetravit.* Qua pietate devotioneque Summus Pontifex S. Pius V. ex hoc mundo ad Cœlum profecturus Euangelicam Chriſti Domini Paſſionis hiſtoriam auſcultaverit, auctor eſt in ipſius vita Cabutius lib. v. cap. XII. *Sibi*, inquit, *ſæpius Euangelicam Dominicæ Paſſionis legi juſſit hiſtoriam, & ubi Sanctiſſimum Jeſu nomen audiret, ob reverentium pileolo manum intendebat, quem ſi per corporis imbecillitatem attingere non valebat, manu piumi mentis ſenſum indicabat.*

Viri

Viri Sancti Euangelii Codicem tenentes, eoque fidem profitentes vita functi.

CAPUT XXXVII.

RItus eſt in Eccleſia antiquiſſimus, ut Chriſtiani homines in extremis vitæ ſuæ momentis laborantes, præcipue fidei profeſſionem emittant. Rituale Romanum deſcribens modum juvandi morientes de hac re ita cavit: *Deinde hortetur infirmum, & excitet, ut dum mente viget eliciat actus fidei &c.* Apud Sacros Scriptores, pleroſque reperies, qui illam deſcribi, ſibique in manu poſt mortem poni, atque cum ea ſepeliri voluerunt. Sic enim de S. Joanne Gualberto ſcribit Surius ad diem XII. Julii: Cum ad exitum autem appropinquaret fecit hæc in breviculo ſcribi, & præcepit in ſua manu poni poſt mortem, ſibique conſepeliri, nempe: *Ego Joannes credo & confiteor fidem, quam Sancti Apoſtoli prædicaverunt; & Sancti Patres in quatuor Conciliis confirmaverunt.* Beatum Joannem Colombinum Jeſuatorum Ordinis inſtitutorem, fidem catholicam, quam moriens profeſſus eſt, in acta publica redigi curaviſſe teſtatur Pheus Belcarius in ipſius vita, cap. LXXVI.

Quod vero propius attingit ritum noſtrum, Paulus monachus Anachoreta, decimo ante obitum ſibi præcognitum die, ſummo mane ad lauram feſtinato deſcendit (habitabat enim in monte Latro Monachorum Sinaitarum illuſtri) ſignumque cogendis monachis præmature dari juſſit, & ſacram peragi myſtagogiam; qua abſoluta, duobus fratribus, *Properate*, inquit *ad ſpeluncam, & Euangelii codicem mihi inde afferte*; quo delato toto cordis affectu complexus eſt illud, & paullo poſt levi ſuſurro immurmurans, *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*, ſanctiſſimam reddidit Deo animam.

mam . Ex ms. codice græco bibliothecæ Sfortianæ . Missa facio alia ejus rei brevitatis studio exempla ; silentio tamen non est prætereundum eximium Beati Bonifacii Episcopi Lausenensis factum , *qui* (ut in ipsius vita legitur apud Bollandianos ad diem XIX. Februarii) *cum appropinquaret termino vitæ suæ petiit textum Euangelii secundum Joannem , quem cum teneret manu sua amplexatus est librum dicens :* Hæc didici , in his vixi , denique hæc sunt , in quæ credo , & spero , ac desidero mori. *Quod non multo post , ut optaverat , evenit .*

Illud quoque omissum nolim quod de Petro S. Gregorii Papæ Diacono traditur . Is cum Euangelium ferens in ambonem ascendisset , ut inclytam Sanctissimi Pontificis memoriam tueretur , ac libros egregios quos furens populus igne combustos volebat , defenderet , divinum tenens codicem , spiritum Deo reddidit . Rem sic narrat Joannes Diaconus in vita S. Gregorii libro IV. cap. LXIX. Cum calumniarum veterum incentores Gregorium prodigum , dilapidatoremque multiplicis Patriarchatus thesauri streperent , deficiente personali materie, ad comburendos libros ejus cœperunt pariter anhelare . Quorum dum quosdam jam combussissent , & reliquos vellent exurere , Petrus Diaconus familiarissimus ejus , cum quo quatuor dialogorum libros disputaverat , creditur vehementius obstitisse , dicens ad obliterandam ejus memoriam librorum exustionem nihil proficere , quorum exemplaria diversis petentibus mundi ambitum penetrassent . Subjungens immane sacrilegium esse tanti Patris tot & tales libros exurere , super cujus caput Spiritum Sanctum ipse in similitudinem columbæ tractantis frequentissime perspexisset . Cumque dudum devotum populum Diaconus cerneret occasione temporis cum invidis resultare , in hoc omnium sententiam dicitur provocasse , ut si quod dixerat jure jurando confirmans , mori con-

ri continuo meruiſſet, ipſi a librorum exuſtione deſiſterent: ſi vero ſuperſtes ſui teſtimonii extitiſſet, ipſe quoque combuſtoribus manus daret. Itaque cum Euangeliis in ambonem venerabilis levita Petrus aſcendens, mox Gregorianæ Sanctitati teſtimonium præbuit, inter verba veræ confeſſionis Spiritum efflavit: & a dolore mortis extraneus, juxta pyrgi baſim, ſicut hactenus cernitur, confeſſor veritatis meruit ſepeliri.

Sacer Euangelii liber vita functis conſepultus.

CAPUT XXXVIII.

EO quoque devenit fidelium religioſa pietas, ut ſacrum Jeſu Chriſti Euangelium etiam in ſepulcro, medios inter cineres tamquam pignus immortalitatis ſecum habere cuperent. S. Barnabas cum S. Paulo Gentium Apoſtolus ad eas profecturus, Euangelium S. Matthæi, propria manu deſcriptum, quaquaverſum circumtulit, ac tandem pro eo Martyr in Cypro occumbens, cum eodem quaſi cum teſtimonio ſuæ in Deum charitatis numquam intermorituræ ſepeliri voluit; quod deinde ſub Zenone Imperatore ad pectus ejus appoſitum, ipſo revelante, ut refert Baronius ad annum CCCCLXXXV. repertum eſt. De S. Domnio, ſive Domnione, hiſtoria ejus translationis apud Bollandianos die XI. Aprilis, hæc habet. *Reliquiæ S. Martyris integræ inveniuntur, & in pectore liber erat Euangeliorum thecis incluſus, literis Apoſtolicis antiquo more, ipſiuſmet, ut fertur, manibus formatis.* Olim quoque Romæ viſebatur in ſepulcro S. Petri Euangelium, quod ſacris exuviis ſummi illius Apoſtolorum Principis erat impoſitum, idque, ut in vi-

in vita Hadriani Papæ ſcribit Anaſtaſius, omnes eo accedentes, magna animi religione oſculabantur.

Eum uſum ponendi ſcilicet cum defunctorum corporibus Euangelium, monachus Engoliſmenſis anonymus in vita Caroli Magni apud Pithæum, quo pacto Carolus armis magnus, pietate maximus, Regno chriſtianiſſimus fuerit ſepulturæ mandatus, in hæc verba deſcribit, a Joanne Ferrando *Diſquiſitionis Reliquiariæ* lib. I. cap. XII. pag. CCCXXIX. relata: *Corpus ejus aromatizatum eſt, & in ſede aurea ſedens poſitum eſt in curvatura ſepulcri, enſe aureo accinctus*, Euangelium aureum *tenens in manibus & genibus, reclinatis humeris in cathedra, & capite honeſte erecto, ligato aurea catena ad diadema, & in diademate lignum Crucis poſitum eſt*. Alia multa paſſim ritus ejus ſepeliendi cum Euangelii Codice vita functos exempla occurrunt. Sed hæc carptim relata ſufficiant, ut dignoſcamus probabile videri, id quoque olim fieri ſolitum in tumulis aliorum Chriſtifidelium; plurima enim cadavera, ſeu loculi in pervetuſtæ Baſilicæ Vaticanæ demolitione, cum Sanctis Euangeliis, teſte eruditiſſimo Joanne Ciampino, *Veterum monumentorum* parte I. cap. XVI. reperta ſunt.

Fruſtra ab Ethnicis Imperatoribus, Sacris Evangelii Codicibus bellum indictum. Chriſtianorum in illis retinendis & occultandis conſtantia. Traditores qui?

CAPUT XXXIX.

SÆviſſimam omnium perſecutionem, quam S. Auguſtinus libro XVIII. *De Civitate Dei* cap. LII. & Oroſius lib. VII. *Hiſtoriæ* cap. XXVII. decimam vocant, novis

vis adverſus Chriſtianos menſe Martio, adventante die Paſchatis per univerſum Imperium Romanum promulgatis edictis concitatam fuiſſe a Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus tradit Euſebius, lib. VIII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. III. Fuerunt autem, ut ait, illa edicta, ut omnes Chriſtianorum Scripturæ igni traderentur, qui honores fuiſſent adepti deponerentur, cæteri vero libertate privarentur, denique ut omnes ubique Eccleſiarum Præſides conjicerentur in vincula, & quibuſcumque adhibitis machinis victimas idolis immolare cogerentur. Hæc de edictis Euſebius. Quod vero pertinet ad præceptum de ſacris concremandis Codicibus; Imperatorum publicato edicto; cum in omni Provincia Præſides, & in ſingulis locis Magiſtratus omni ſtudio, & adhibitis tormentis invigilarent, ut a Chriſtianis Codices traderentur; qui atrocitate pœnarum perterriti, quot apud ſe haberent, tradiderunt, vocati ſunt *Traditores*. Quod & S. Auguſtinus agens contra Donatiſtas ita teſtatur libro VII. *De baptiſmo*, cap. II. *Poſt paſſionem quippe ejus* (S. Cypriani) *quadraginta, & quod excurrit annis peractis traditio Codicum facta eſt, unde cæperunt appellari Traditores*. At quis crederet complures Epiſcopos impio parentes edicto, ſacros non ſolum Codices tradidiſſe, ſed etiam una ſimul conſpirantes adverſus pios Chriſtifideles, quos calumniis opprimebant, ſchiſma immortale conflaſſe? *In Africa*, inquit Optatus Milevitanus, *duo mala, & peſſima admiſſa eſſe conſtat, unum in traditione, alterum in ſchiſmate*; & paullo poſt: *Quid commemorem laicos, qui tunc in Eccleſia nulla fuerunt dignitate ſuffulti? Quid miniſtros plurimos? Quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos? Ipſi apices, & Principes omnium aliqui Epiſcopi illis temporibus, ut damno æternæ vitæ, iſtius incertæ lucis moras breviſſimas compararent, inſtru-*

ſtrumenta divinæ legis impie tradiderunt. Hæc Optatus; qui licet de univerſis divinorum librorum voluminibus loqui videatur; non diffiteor tamen intelligi potiſſimum de Euangelio debere; quandoquidem perſecutio non contra Hebræos, qui alias multa ſecum veteris Teſtamenti habebant volumina, ſed Chriſtianos excitata fuit, quorum præcipuus Codex erat Euangelium, iſtudque ſummo ſtudio proſequebantur; quemadmodum de S. Martyre Mamante legimus, qui licet paſcendis ovibus eſſet intentus, perpetuum tamen comitem Euangelium ſecum habebat ut refert Haræus *In Hiſtoria Sanctorum* ad diem XVII. Auguſti.

Hanc ſententiam comprobant acta Concilii Cirtenſis a Cardinale Baronio relata ad annum CCCIII., ubi cum Secundus Epiſcopus Tigiſitanus primæ Cathedræ aſſidens inter alios Victorem Ruſſicadienſem Epiſcopum de ſacrorum codicum traditione interrogaret, ſic dixit: *Dicitur te tradidiſſe quatuor Euangelia*: Victor reſpondit: *Valentinianus curator fuit*; *ipſe me coegit ut mitterem ea in ignem*. Aſſerto favent acta S. Euplii Martyris Diaconi Catanenſis, qui ab exploratoribus inventus legere Euangelia, & docere Chriſtianos, ab illis tentus eſt, & perductus cum libro proclamavit: *Chriſtianus ſum, & pro Chriſti nomine mori deſidero*. Cumque a Calviſiano Conſulari interrogaretur cur illa legeret, & non potius juxta Imperatoris edictum igni tradidiſſet; reſpondit Euplius: *Quia Chriſtianus ſum, & tradere non licebat. In his vita æterna eſt; qui tradit, vitam æternam perdit; ut eam non perdam, vitam meam do*. Tandem poſt ſæva tormenta, Euangelio ad collum ejus appenſo, a Carnifice decollatus eſt. Alia id genus exempla longum eſſet recenſere. Quamplurimi ſiquidem fuere qui ſacra Euangelia, ac cæteras divinas ſcripturas tradere recuſantes mortem oppetere maluerunt: quorum

rum omnium memoria die præcipuo recoli consuevit in Romana Ecclesia; in cujus Martyrologio die II. Januarii, hodieque legitur: *Romæ commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi sacri Codices jubebantur, potius corpora Carnificibus, quam sancta dare canibus maluerunt.*

Euangelium adulterantes qui? Illius Prædicatores decet quammaxime ut a temporali quæstu sint immunes.

CAPUT XL.

DOlet Apostolus multos suo ævo extitisse, qui Verbum Dei adulterarent: *Non sumus*, inquit secunda Corinthiorum cap. II. *sicut plurimi adulterantes Verbum Dei.* In Græco pro adulterantes notante Cornelio a Lapide non est μοιχεύοντες, quod proprie mœchiam, & adulterium significat, sed καπηλεύοντες, idest cauponantes, quibus opponit Paulus sinceros, & sinceritatem. Cauponantur Verbum Dei, qui instar cauponum prædicant Euangelium ad quæstum ex eo colligendum, illudque referunt ad sua lucra. Latinus tamen Interpres recte vertit adulterantes, quia sicuti caupones sæpe vina, & alia quæ vendunt, aliis rebus commiscent, vitiant, & adulterant pro quæstu: ita & avari pseudopræcones Euangelii sua lucra miscent Euangelio, itaque Euangelicam prædicationem, quæ pura esse debet, pureque referri ad unius Dei gloriam, sua avaritia deturpant, contaminant, & adulterant, dum ea ad quæstum abutuntur: *Cauponari*, inquit S. Gregorius libro XXII. *Moralium* capite XVII. *Verbum Dei, est aut aliter de illo sentire, quam est; aut ex eo non spirituales fructus, sed adulterinos fœtus quæ-*

rere laudis humanæ. Et S. Chryſoſtomus homilia v. in II. Corinthiorum: *Hoc enim*, ait, *eſt cauponari, cum quis vinum adulterat; cum quis pecunia id vendit, quod gratis dare debebat*. Hoc enim loco, & de quæſtu eos lepide perſtringere videtur, & rurſus id quod dixi ſignificare, nempe quod ſua illi divinis admiſceant. Quod etiam Iſaias cap. I. in hæc verba objiciebat: *Caupones tui vinum aqua miſcent*; nam etſi de vino hoc dictum ſit, non tamen aberravit, qui de doctrina hoc quoque intellexerit.

Quantum vero profit Sacrum Concionatorem non ab avaritia ſolum, ſed ab omni etiam licito quæſtu alienum prædicare Jeſu Chriſti Euangelium, ſatis docet exemplum Apoſtoli, qui non modo munera gratis oblata, ſed etiam ſtipendia jure naturæ, legeque Dei tam veteri, quam nova (ut ipſe pluribus in priore ad Corinthios probat) ſibi debita repudiavit; imo ibidem denuntiavit ſe potius fame mori malle, quam ea ob labores prædicationis accipere. Nam in primis majores natu Eccleſiæ Epheſiorum, apud quos triennium integrum noctu diuque in Euangelii prædicatione inſumpſerat, ut eſt in Actorum Apoſtolicorum hiſtoria cap. xx. ita allocutus eſt: *Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ*. Et in prima ad Corinthios epiſtola cap. IX. proteſtatur ſe non uſum poteſtate accipiendi ſtipendium, quantumvis multis nominibus juſtiſsima. Et in altera ad eoſdem cap. XI. addit ſe id permittere noluiſſe, quamvis magna premeretur inopia: *Cum eſſem*, inquit, *apud vos & egerem, nulli oneroſus fui: nam quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres qui venerunt a Macedonia, & in omnibus ſine onere me vobis ſervavi, & ſervabo; eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus*

nibus Achajæ. In priore quoque ad Theſſalonicenſes ſcribit cap. II. *Memores eſtis fratres laboris noſtri, & fatigationis, nocte ac die operantes, ne quem veſtrum gravaremus, prædicavimus in vobis Euangelium Dei. Vos teſtes eſtis, & Deus, quam ſancte, & juſte, & ſine querela vobis qui credidiſtis fuimus.* In alia vero ad eoſdem epiſtola cap. III. *Ipſi ſcitis, quoniam non gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes ne quem veſtrum gravaremus.* Si ergo Apoſtolus, cum Eccleſia ſumma inopia laboraret, ut neminem gravaret, victum ſibi manibus operando comparabat, quanto magis ab omni quæſtu alieni eſſe deberent noſtris hiſce præſertim temporibus ſacri homines tot bonis chriſtianorum jam fere paupertate laborantium affluentes?

Sed expendere libet cauſſas egregii contemptus divitiarum, atque ipſiuſmet etiam victus neceſſarii, quas idem Apoſtolus deſignatis in locis multipliciter reddit, quaſque in unum pius ac eruditus Joannes Buſæus, in libro quem inſcripſit *Panarium vitiorum*, diligenter collegit. Prima eſt in Actis cap.xx. *Quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe Verbi Domini Jeſu, quoniam ipſe dixit: beatius eſt magis dare, quam accipere.* Secunda eſt in priore ad Corinthios: *Omnia ſuſtinemus ne quod offendiculum demus in Euangelio Chriſti*; ideſt, ait Cornelius a Lapide, ne accipiendo ſumptus demus occaſionem qua homines tenaces, & indiſcreti abutantur, ut remorentur Euangelium, illique obloquantur. Tertia ibidem, ut plures lucrifaceret: *Cum liber eſſem ex omnibus omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem*; quaſi dicat, ad omnia me demiſi, etiam ad inopiam, & famem, omnium infirmitatibus me accommodavi, ut cum Corinthios viderem in danda Apoſtolis ſuſtentatione tardiores, & parciores, ego no-

luc-

luerim quidquam ab eis in ſumptum accipere, ut eorum infirmitati condeſcenderem, & ſic omnes lucrifacerem. Quarta eſt eodem loco, ut particeps fieret mercedis in Euangelio promiſſæ: *Omnia*, inquit, *facio propter Euangelium, ut particeps ejus efficiar*. Quinta in altera ad Corinthios epiſtola; ut pſeudoapoſtolis omnem anſam ſe calumniandi præriperet: *Quod autem facio, & faciam; ut amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem, ut in quo gloriantur, inveniantur ſicut & nos*; quaſi dicat: gloriantur in prædicatione ſe eſſe mihi pares, cum ſint inferiores: Ego enim gratis, ipſi lucri cauſſa euangelizant, ita S. Chryſoſtomus, & Theophilactus. Sexta in utraque ad Theſſalonicenſes ne quemquam gravaret. Septima ibidem, ut bonum exemplum aliis eſſet quod imitarentur, *Ut noſmetipſos formam daremus ad imitandum nos*. Cauſſas ipſas idcirco ſingulatim recenſuimus, ut ſacri homines perinde atque Apoſtolus ab accipiendis muneribus pro concionum, confeſſionum, aliorumque ſpiritualium operum laboribus retrahantur. Mos enim hæreticorum eſt Euangelium lucri cauſſa prædicare, ſuaque quærere non quæ Jeſu Chriſti.

Adverſus Montanum hæreſiarcham, & ejus pſeudoprophetiſſas ſcribens apud Euſebium Cæſarienſem lib. v. hiſt. XVII. antiquus Eccleſiæ Scriptor Apollonius *Ipſe eſt* inquit *qui pecuniarum exactores conſtituit, qui oblationum nomine munera accipienda præfixit, qui denique ſui verbi prædicatoribus, ut ejuſdem verbi doctrina ſordido ventris abdomine, & ingluvie roboretur ſalaria ſuppeditat. An non univerſa ſcriptura videtur vetare ut propheta munera, & pecuniam accipiat? Quando ego igitur prophetiſſam forte video aurum, argentum, & veſtes pretioſas cupide accipientem, quid eſt cur illam prophetiſſarum numero non excludam?* Et infra: *Illos qui Montano Prophetæ, & martyres dicuntur, non a divitibus ſolum,*

lum, ſed a pauperibus etiam ab orphanis, & viduis pecunias exegiſſe perſpicue oſtendemus. Hæc ille. Montanus, ait vir doctiſſimus Chriſtianus Lupus, diſſertatione de Simonia, a ſuis auditoribus, & ſequacibus exigebat pecunias, fucabat honeſto, & licito ad ſobrium cleri victum oblationis nomine; exigebat etiam aurum, & veſtes pretioſas; ordinabat ſimilium oblationum præfectos, & exactores, & ex fœdo ipſo gazophilacio ſuis miniſtris erogabat ac figebat ſalaria. Atque ut alios hæreticos omittam, horrendum eſt, atque turpiſſimum Joannis Ruggenhaghii Martini Lutheri ſocii exemplum, qui Danis quos pſeudoapoſtolus ſeduxerat ad ſuos rediens, fertur relictam terram e navi ſpectaſſe, ac ſalutaſſe: *Vale, Dania, habeas tu meum Euangelium, ego tuum aurum*; Ita vir improbus locutus eſt, quod ſibi ſuis concionibus magnam auri vim collegiſſet. Longe aliter Sanctus Thadæus Apoſtolus, de quo apud Edeſſenos, ipſorumque Regem Abgarum prædicante ſcribit Euſebius Cæſarienſis libro VIII. *Hiſtoriæ* cap. XIX. *Abgarus præcepit, ut cives ſui in unum convenirent, Thadæum concionantem attente audituri; paulo poſt auro illum donari mandavit, at ille reſpuit ſic fatus: Si noſtra prorſus dereliquimus; quomodo accipiemus aliena?* Cæterum quantum proſit ſacrum Euangelii præconem, gratuito ſine quovis ſtipendio ac populi gravamine miniſterium impendere, ex eo liquet quod docet S. Joannes Chryſoſtomus in ſecundam Corinthiorum: *Nihil*, inquiens, *mundanos perinde ædificat ut nihil accipere.* Hinc ſapienter Innocentius III. Pontifex Maximus in Concilio Lateranenſi IV. cap. x. mandavit cunctis amplarum Diœceſeon Epiſcopis, *Ut viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium aſſumant .... quibus ipſi cum indiguerint, congrue neceſſaria ſubminiſtrent.*

Euan-

Euangelica hiſtoria in Chriſtianorum Templis, ac Cœmeteriis depicta; Inter ſacra Eccleſiæ ornamenta expreſſa. Abuſus in rebus divino miniſterio addictis profana inſignia collocandi refellitur.

CAPUT XLI.

ALienum omnino a noſtro inſtituto minime erit etiam de hac re diſputare. Quamquam vero hæretici ſacrarum oſores Imaginum impudentiſſime inficientur nullum fuiſſe olim earum in Eccleſia uſum primis quingentis annis; tamen ex ſacris conſtat Scriptoribus præclariora Redemptoris noſtri ſymbola ac geſta in *Euangelio* deſcripta, Eccleſiis, veſtibus, altaribus, vaſis, cæteræque ſacræ ſupellectili fuiſſe collocata. S. Nilus ad Olympiodorum Præfectum, qui eum conſuluerat quās imagines ponere poſſet in Templis, reſpondet ponendam ſolam Crucis imaginem in Sacrario; in circuitu vero hiſtorias Novi ac Veteris Teſtamenti. Iis non modo Eccleſiarum abſides, ſed & ipſos Eccleſiarum parietes fuiſſe egregie exornatos, S. Paulinus in IX. & X. Natali S. Felicis, elegantiſſimo carmine teſtatus eſt. S. Joannes Damaſcenus epiſtola ad Theophilum Imperatorem, *De Sanctis ac venerandis Imaginibus*, ſanxiſſe ait Conſtantinum Magnum, in Eccleſiis, in tabellis depingi, ac vivis coloribus exarari, in Bethlehem oppido nativitatem, inviſentes paſtores, Magos munera offerentes, ſtellæ curſum, Simeonem juſtum ſuſcipientem, Joannem baptizantem, inaudita divinaque miracula, voluntarias perpeſſiones, eximiam ac vivificam reſurrectionem, & quæ deinceps Apoſtolis patrata prodigia ſunt. Sic ille. Idipſum docent

docent in Concilio Nyceno II. Hadriani Papæ Legati, qui reſpondentes Coſmæ Diacono, Novi, & Veteris Teſtamenti hiſtoriis, hinc inde parietes Templi impleri, doctiſſimi pictoris opera cupienti, hæc habent: *Tale etiam qui nunc quieſcit Conſtantinus olim fecit. Nam cum Templum Romæ Salvatoris extruxerit, in utroque pariete Templi hiſtoriam Veteris, & Novi Teſtamenti inſcripſit. Hinc quidem Adam exeuntem Paradiſo; illinc vero Latronem Paradiſum ingredientem.*

Ejus rei veſtigia in nonnullis Urbis Eccleſiis adhuc non pauca licet agnoſcere. Baſilicam S. Cæciliæ antequam in novam hanc formam redigeretur ita in quodam ſuo erudito opuſculo ms. amicus noſter vir clariſſimus, ac notæ doctrinæ Joannes Marangonus deſcribit: Ab utroque latere fulgebant undecim Veteris, ac Novi Teſtamenti hiſtoriæ coloribus expreſſæ totidem grandioribus figuræ cubicæ ſpeculis. In dextero videlicet reſpectu ingredientium erant: Primo Creatio Mundi, Cælorum, ac Planetarum, ac diviſio lucis a tenebris. II. Creatio animalium. III. Creatio Adam. IV. Eductio Evæ ex latere Adam dormientis. V. Iidem primi Parentes in Paradiſo terreſtri, cum arbore inter illos, cui hærebat ſerpens, ex qua pomum mulier carpebat. VI. Occiſio Abel. VII. Noe arcam conficiens. VIII. Arca in medio diluvii cum Noe columbam demittente ex feneſtra. IX. Sacrificium Abrahæ. X. Quando Abraham tres vidit, & unum adoravit. XI. Iſaac benedicens Jacob. Ex alio latere: Primo Chriſti Domini nativitas. II. Adoratio Magorum. III. Pueri Jeſus circumciſio. IV. In Jordane Chriſtus a Joanne baptizatus. V. Nuptiæ Canæ Galilææ. VI. Tentatio Chriſti in deſerto; ejuſque elevatio ſuper montem, & ſuper pinnaculum Templi. VII. Transfiguratio ejuſdem. VIII. Saturatio quinque millium hominum in deſerto. IX. Chriſtus ad

puteum cum Samaritana. X. Reſurrectio Lazari. XI. Adulteræ abſolutio. Quæ omnia ſpecula variis circumornata lineamentis radiabant a S. Paſchali I. Pont. Max.

At vero ut de Cœmeteriis etiam loquamur, docet vir ſacræ antiquitatis peritiſſimus Antonius Boſius lib. IV. *Romæ ſubterraneæ* cap. XXIII. in quibuſdam ipſorum cubiculis, ac parietibus pictas eſſe haſce divini Euangelii hiſtorias. Paralytici a Chriſto ſanati. Lazari revocati e monumento. Chriſti Domini Hieroſolymam ſolemniter ingredientis. In monte ſedentis, ac duodecim Apoſtolos docentis. In figura Paſtoris oviculam humeris geſtantis. In figura Agni; & complures alias imagines ex variis Euangelii hiſtoriis deſumptas. Cujus generis nonnullæ etiam referuntur a viro eruditiſſimo Marco Antonio Buldetho in egregio opere *De Cœmeteriis.*

Quod hucuſque de Eccleſiis, ac Cœmeteriis dictum eſt, id ipſum factum etiam conſtat in ſacris veſtibus ac cætera Eccleſiæ ſupellectile. Tertullianus Auctor vetuſtiſſimus, quippe qui florebat initio tertii ſæculi, in libro *De pudicitia* aperte ſcribit ſacris Calicibus inſculptum fuiſſe Chriſtum in forma Paſtoris ovem errantem ſuis humeris ad ovile reportantis. Eundem morem pie ac religioſe ſervatum ſequentibus ſæculis, paſſim teſtantur Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Quocirca reprehenſione dignus videtur mundanus ac recens Chriſtianorum faſtus, qui ut avitæ pietatis recordationem ingerant, gentilitia ſtemmata Sacræ Eccleſiæ ſupellectili apponere non erubeſcunt. Hunc in abuſum acerrime invehitur egregius pietatis Magiſter Joannes Thaulerus ſermone I. in Dominica VIII. poſt feſtum Trinitatis; ac de illis qui ſtemmata ſua veſtibus, ornamentis, vaſis ſacris & Eccleſiaſticis adtexi volunt vere ait: *Receperunt mercedem ſuam.* Inanem porro eorum excuſationem eſſe docet; qui id unum ſe quærere profitentur, ut pro illis oretur, quod eo-

eòrum inſignia monent. *Verum multo eis*, inquit, *utilior foret eleemoſyna aliqua parva, ſoli Deo in ſinum illius oblata, & abſcondita prorſus ab omnibus, quam vel celebris Templi extructio, ſcientibus cunctis, preceſque pro eis fundentibus. Facile enim ſupplebit Deus quicquid omnes orare poſſent, ſi tantum bona opera ſua illi ſoli relinquere, eique confidere curent. Sola namque eleemoſyna reſignata, ac pura, ſolius divinitatis intentione facta plus orat, quam omnes, ad quorum notitiam perveniret, orare poſſent.* Et poſt pauca. *Ea multorum corruptio eſt, ut ex his quæ faciunt ſaltem videri, & ſciri velint, & aliquid ſuum retinere geſtiant. Cæterum quæcumque hoc affectu opera fiunt, carioſa ſunt omnia, etiam ſi tot ſint, ut mundum impleant univerſum.* Multa præterea his addit, validiſque ſacrarum literarum auctoritatibus confirmat.

Sed placet hic aliud argumentum deſcribere, quod in rem ipſam tradit alter inclyti Ordinis Prædicatorum Theologus præſtantiſſimus Natalis Alexander *Theologiæ Dogmaticæ & Moralis* libro II. *De Sacramento Euchariſtiæ* cap. VII. articulo III. num. VIII. his verbis „Qui ea lege ornamenta, vel calices Eccleſiis offerunt, aut Capellas, vel Eccleſias erigunt, ut in iis gentilitia eorum ſtemmata effulgeant, ſe ipſos quærunt, & Cainum imitantur, qui cum parva, eaque deteriora ex bonis ſuis Deo munera offerret, ſe ipſum ſibi retinuit: quamobrem eum recte obtuliſſe, ſed non recte diviſiſſe ait Scriptura. Unde S. Ambroſius libro II. de Cain, & Abel cap. VI. *Recte*, inquit, *Cain obtulit, quia oblatio inſigne devotionis, & indicium gratiarum eſt: ſed non recte diviſit, quia ante omnia Deo debuit deferre primitias, at a gratia inchoaret Authoris. Etenim diviſionis hic ordo eſt, ut prima ſecundis, non primis ſecunda præcurrant, & cæleſtia terrenis, non terrena cæleſtibus præferantur.*

tur. Terrena autem (verba ſunt memorati Auctoris Natalis Alexandri) cæleſtibus præferunt, & Deo injuriam faciunt cui offerunt munera, viri, & fœminæ nobiles, & divites, (adde etiam homines infimæ plebis) cum gentilitia ſua ſtemmata, & inſignia in caſulis Sacerdotum, ornamentis Altarium, Sacris Calicibus, ipſis Altaribus & Eccleſiis intexi, inſculpi, appingi volunt; & ita ſunt affecti ut alias Eccleſias vel Altaria non erigerent, nec ſacra vaſa, vel ornamenta Eccleſiis conferrent. Indignum ſane eſt, nec omnino ferendum, ut ſacra ſupellex iiſdem inſignibus notetur, ac profana, quæ in eorum abaco ad pompam oſtentatur, in menſis ad luxum miniſtretur: ut eorum inſignia quaſi auctoramenta ſervitutis ferant Sacerdotes cum ſacris operantur; ſicut pediſſequi cum famulantur; ſicut muli cum ſarcinas ferunt: ut eorum ſtemmata & tituli ſpectentur in Altaribus, ut in rhedis, & curribus; in Baſilicis ſoli Deo dicatis in memoriam Sanctorum, qui terrenos honores contempſerunt, illique juge Chriſtianæ humilitatis ſacrificium obtulerunt, ut in ædibus profanis. Si in Regum Palatiis, aulæis, & periſtromatibus, vaſis aureis, & argenteis, totaque ſupellectili, qua eorum Majeſtas utitur, nulla alia inſignia, nulli tituli ſpectantur, niſi Regum, quorum propria ſunt; quis æquo animo patiatur aliena inſignia, imo hoſtilia, mundi ſcilicet pompam, & Diaboli ſuperbiam ſpectantia, in vaſis, ornamentis, Altaribus, Eccleſiis Deo dicatis oſtentari?

Fortaſſe laudatos ſcriptores ſeverioris diſciplinæ quis accuſaverit? Verum, ut alios omittam, magnus Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtes S. Carolus Borromæus in Concilio Diœceſano XI. ita præſcripſit: *Sacris indumentis & locis ne inſignia, ſtemmatave familiarum, aliaque profana appingantur, aut ſculpantur*. Idipſum jubent conſtitutiones Clericorum Regularium quos Theatinos

tinos vocant. Parte I. cap. III. *Ne permittatur ut in ſacris indumentis familiarum ponantur inſignia.*

Mulierum abuſus, quæ ſacras Euangelii hiſtorias profanis veſtibus intexebant, adpingebantque refellitur.

CAPUT XLII.

QUum Chriſtus Dominus ubique fere in Euangelio exemplo non minus quam verbo humilitatem, paupertatem, & vanæ gloriæ contemptum nobis commendaſſet, abuſus profecto videtur merito improbandus, ille ſcilicet quarundam mulierum, quæ eo temeritatis aliquando devenere, ut non contentæ ſumptuoſas veſtes ſuas variis ſymbolis miro artificio elaboratis exornare, ipſis etiam ſacras Euangelii hiſtorias adtexere ſummo ſtudio, & impenſa curabant, adverſus quas jure ſtylum ſuum exacuit S. Aſterius Epiſcopus Amaſeæ homilia *De Divite, ac Lazaro* cujus verba quum non ſint omnibus obvia, placuit hoc loco deſcribere„ Quandocumque igitur in publicum prodeunt quaſi depicti parietes ab obviis adſpiciuntur. Quin etiam pueri circumſtant, ridentes inter ſeſe; digitiſque picturam in veſtibus commonſtrantes; & ad multum ſpatii proſequuntur, nec niſi ægre recedere & avelli poſſunt. Videre eſt illic leones, pantheras, urſos, tauros, canes, ſilvas, ſaxa, ac venatores, & omnia denique, circa quæ Pictorum induſtria naturæ æmula verſatur. Neceſſe videlicet erat, ut videtur, parietes non ſolum atque domos exornari ac depingi, verum etiam tunicas, & pallia iis ſuperjecta. Qui autem, quæve de divitibus illis religioſiores, argumenta textoribus ex hiſtoria Euangelica collecta

lecta ſubminiſtrant: ipſum inquam Chriſtum noſtrum, cum Diſcipulis omnibus, ac miracula quæque, quemadmodum ibi narrantur. Videbis nuptias Galilææ, & hydrias; paralyticum lectum bajulantem; cæcum qui luto curatur; mulierem, quæ ſanguinis profluvio laborabat, fimbriam prehendentem; peccatricem ad pedes Jeſu accedentem; ac Lazarum e ſepulcro redivivum: & hæc dum faciunt, pie ſeſe facere, & veſtimenta Deo grata induere arbitrantur. At me quidem ſi audiant, iſtis divenditis, vivas Dei imagines colant. Chriſtum ne pinge (ſatis enim illi, quod ſemel ad corpoream naturam aſſumendam cauſa ſe noſtra ſponte demiſit) ſed mente, & intellectu Verbum incorporeum circumfer: in veſtibus paralyticum ne habe, ſed hominem infirmum ac projectum require: ne aſſidue mulierem ſanguinis profluvio laborantem ſpectandam propone, ſed viduæ afflictæ miſerere: ne peccatricem ad genua Domini prolapſam tam diligenter contuere, ſed tuorum aſpectu peccatorum contritus lacrymas uberes emitte: pro effigie Lazari reſurgentis idoneam in tuæ tempus reſurrectionis apologiam para: Cæcum in veſtibus depictum circumferre noli, ſed cæcum viventem beneficiis ſolare: poſthabitiſque reliquiarum cophinis, & hydriis illis Canæ Galilææ, eſurientibus cibum, ſitientibus potum præbe, & in his quidem nobis illa ſplendida ac ſuperba divitis veſtis profuerit. Ita ille. Atque hæc pio lectori ſufficiant de Codice S. Euangelii, atque ſervatis in ejus lectione & uſu vario ritibus, quos ad majorem Dei Filii gloriam, & Chriſtianorum hominum utilitatem brevi temporis ſpatio deſcripſimus; quod iccirco dixi, ut qui noſtro non ignoſcit ingenio, pietati ſaltem parcat & tempori.

FINIS.

IN-

INDEX RERUM,

Quæ in hoc opere continentur.

A

Abbatissarum nonnullarum temeritas legendi publice Euangelium, prædicandi, & benedicendi coercita ab Innoc. III. *Pag.* 41.

Abusus præbendi Euangelium ad osculandum Præsidi Virginum in Oppido Romarocomontis Tullen. Diœcesis. 125.

Abusus gentilitia Stemmata Sacris Vestibus apponendi detestatus. 234.

Abusus sedendi juxta Sacros Codices. 185.

Abusus detestatur, quod fœminarum gratia Episcopale munus aliqui aucupentur, & Sacri Oratores ipsarum favore suggesta ad Divinum Euangelium nunciandum nobiliora procurent. 42.

Agape seu Convivium fieri solitum in conventibus Christianorum primævæ Ecclesiæ. 24.

Alba quod indumenti genus habeatur in Ecclesia? Varia ejus mysteria & usus. 56. 57.

S. Alexander Patriarcha Alexandriæ quoties Euangelium in sua cella legebat, id stans præstabat, ac lampade accensa. 184.

Altare nonnisi Sanctorum Reliquiis, & Codice Euangeliorum exornari debet. 136.

Ambo quid, & qualis locus esset in Ecclesia ad Euangelium legendum destinatus? 43.

In eo etiam sermones ad populum habebuntur. 44.

Ejus varii usus in Ecclesia. 45.

Ambonum usum fere obsoletum restituere studuit S. Carolus Borromæus. 47.

Amalarii, & Alcuini error notatur. 177.

Amen cur respondeatur post Euangelium, & Deo gratias. 119.

Amictus quod genus indumenti sit in Ecclesia, & quid significet? 55.

Animalia Ezechielis quatuor, Symbola 4. Euangelistarum, eademque Joanni exhibita in Pathmos. 17.

Antiquarii vocati Scriptores Sacrorum Codicum. 185.

S. Antonius audita Euangelii lectione patrimonium suum pauperibus distribuit. 200.

Aqua benedici solita in pervigilio Epiphaniæ tum apud Græcos, tum apud Latinos, ejus mysteria. 155. *& seq.*

Aquilæ forma, supra quam legebatur Euangelium, cur Ambonibus

nibus ſuperpoſita? 47.
S. Aurea Virgo ab Angelo acriter correcta quod e collo Diaconi Stolam ereptam ſibique apponens publice in Eccleſia Euangelium legere auſa fuerit: ejus gravis pœnitentia. 41.

B

BAculus cur a Sacris Canonibus prohibitus Miſſarum ſolemnia celebrantibus. 91.
Baculus Crucis Symbolum. 88.
Baculus cur adhibitus in Eccleſiis, ac depoſitus in Euangelii lectione? 88. & ſeq.
Baculus a S. Martino dono datus S. Victurio Cenomanenſi Epiſcopo. 89.
Baculus hodie intermiſſus, retentus vero à Cantoribus in quibuſdam Eccleſiis. 90.
Baculus in Epiſcopo eſt inſigne auctoritatis. 91.
Barbarorum mira converſio. 212.
S. Barnabæ corporis inventio in Cypro ſub Zenone Imperatore cum Euangelio S. Matthæi. 223.
Beda Ven. commentarium in Joannis Euangelium abſolvens moritur. 22.
Benedictus XIII. Sacrorum Rituum aſſertor ſtudioſiſſimus, capite detecto ſemper auſcultabat Euangelium. 117.
Benedictiones variæ uſurpatæ a celebrante erga Diaconum recitaturum Euangelium in Miſſa, & cur dentur? 67.
S. Bonifacius Ep. & M. Codicem Euangelii ſemper ſecum comitem adhibet. 189.
S. Bonifacius Epiſcopus Lauſenſis Euangelium tenens, eoque fidem profitens moritur. 222.
Boſius Antonius laudatus. 234.
Braſchi Joannes Baptiſta Archiepiſcopus Niſibenus laudatur. 124.
Brentii, & aliorum Hæreticorum error circa Etymon Euangelii. 4.
Buldethus Marcus Antonius laudatus. 234.

C

S. Cæcilia perpetuo Euangelium gerebat. 208.
S. Cæciliæ Urbis Eccleſiæ parietes a S. Paſchali I. Papa hiſtoriis utriuſque Teſtamenti exornati. 233.
Calices Sacris Imaginibus inſculpti. 234.
Calvini impudentia refellitur. 51. & 165.
Campanæ conſecrandi uſus, & origo. 159. Quis primo ritum tradiderit? 160.
Campanæ non baptizantur, ſed benedicuntur, & cur? 160.
Cur in ipſarum benedictione legatur Euangelium? 162.
Campanas pulſare olim ad Sacerdotes ſpectabat. 163.
Canoniſtæ inſignes docent Epiſcopatum eſſe ordinem. 178.

Cantica tria ex Euangelio desumpta, capite detecto recitanda, & audienda in officio. 106.
Cantores, seu Præcentores ac Decani quarumdam Ecclesiarum Baculi usum in Dignitatis argumentum retinent. 90.
Cantus antiquitus promiscue fiebat a Clero, & Populo in Ecclesia. 85.
Caput aperiendum esse ad lectionem Euangelii. 110. & *sequentibus*.
Auctoritates Doctorum. 114.
Hujus ritus Caussæ. 118.
Carolus Magnus sepultus est Euangelium aureum manibus tenens. 224.
Carolus Magnus Imp. coronatus a Pontifice in Basilica Vaticana, relatus inter ejusdem Canonicos. 39.
Carolus IV. Imp. in Missa tenens evaginatum gladium in manu, legit Euangelium. 38. 93.
Carolus V. Imperator in die Nativitatis Domini inter Missarum solemnia a Clemente VII. celebrata Euangelium legit. 38
Caussæ peculiares cujusque Euangelii scribendi. 12.
Cereorum usus in Ecclesia non improbatur a Lactantio, & Hieronymo, sed commendatur. 72.
Ab Acolythis deferendi ante Diaconum quando legendum est Euang. in Ecclesia. 74.
A septem Acolythis totidem Cerei accensi deferuntur ante Diaconum recitaturum Euangelium in Missa solemni Pontificis. 74.
Cur Cerei, ac Thus adhibeantur in lectione Euangelii in Missa? *ibi*.
Christiani plurimi Codices Sacros tradere recusantes Martyrio coronati. 227.
Christiani Euangelium ferebant ut ejus præsidio etiam mala, quæ corpora affligunt, depellerent. 212.
S. Chrysantus lectione Euangelii ab Idolorum cultu conversus. 193.
Cinguli usus ejusque significatio. 58.
Clericorum Reg. Theatinorum studium circa Codicem Euangeliorum. 189.
Codex Euangelii. Vide Euangelii Codex.
Codicum Traditores qui?
Compagnonus Pompeus laudatur. 155.
Concionandi munus quandoque ex Caussa concessum Diaconis. 131.
Proprium est Episcoporum. 132
Concionatores excepta Urbe in aliis locis stolam deferre debent. 64. & etiam Diaconi si ex facultate id agerent, stola in transversum ducta. 64.
Concionatores nonnulli in Galliis nobiliorum Matronarum gratia suggestum ad Euangelium nuntiandum sibi procurant. 42.

Conciones cur habitæ poſt Euangelii lectionem. 128.
Concordia Euangeliſtarum certitudinem de rebus ſcriptis reddit. 11.
Concordiæ Euangeliorum Authores varii. 11.
Conſtans Imperator ad Vitalianum Papam Euangelium mittit gemmis ornatum. 182.
S. Cronani Euangelium aquis demerſum nulla litera violatum reperitur. 215.
Crux cur a Diacono efformetur ſupra librum Euangelii, ſuoque in fronte, ore, & pectore dum legit in Eccleſia Euangelium? 83.
Cur fiat à populo ſimiliter? 86.
Crux defertur ad Euangelii lectionem quibuſdam in Eccleſiis. 75.
Crux a fidelibus cur adhibetur ſingulis rebus, & actibus? 87.
Abuſus ſculpendi Crucem in pavimento tollendus. 87.
Cruci Chriſti & Codici Euangelii æqualis honor. 135.
Tiberius II. Imp. ob reverentiam Cruci præſtitam theſaurum reperit. 87.
Crucis ſigno cur ſe muniunt fideles perlecto Euangelio? 120.
Crucis ſignum a fidelibus uſitatum a primis Eccleſiæ temporibus. 87.

D

Dæmones quantum horrent ea verba Euangelii *Verbum caro factum eſt*. 105.
Dalmatica proprium Diaconi indumentum unde dicta? Uſus a S. Silveſtro primum Romanæ Eccleſiæ aſſignatus. 65.
Ejus ſignificatio. 66.
Deo gratias poſt Euangelii lectionem. 120.
Diaconi in Miſſa ſolemni ad legendum Euangelium conſtituti ab ipſis Eccleſiæ primordiis. 34.
Cur Diaconis id incumbat? 36.
Cur in eorum Ordinatione tradatur Diaconis Euangelii Codex? 36.
Stola ſeu Orarium proprium Indumentum Diaconi. 62.
Ut & Dalmatica. 65.
Cur planetis plicatis in diebus Jejuniorum utantur? 65.
Diaconi Regionarii Euangelium cantabant in Stationibus. 150.
Diaconi Græci Albam variorum colorum induunt. 57.
Diaconus cur ante Euangelium in Miſſa ſolemni dicat *Munda cor meum &c.* 67.
Ritus varii in ordine ad Codicem Euangelii ſervati olim a Diacono in Miſſa. *ibi.*
Diaconus cur Euangelium legens in Miſſa olim verteret ſe ad Meridiem, modo autem ad Aquilonem? 49.
Diaconus quodam in Caſtro in Die Epiphaniæ canit Euangelium capite galea tecto, manuque evaginatum enſem tenens. 93.

S. Dominicus Prædicatorum Inſtitutor Matthæi Euangelium ſemper detulit ſecum. 189.
Dominus vobiſcum ſalutatio ab Apoſtolis tradita, facienda ab Epiſcopis, & Presbyteris ad populum. 81.
A Diacono quando uſurpetur? 82.
Liber hoc titulo *Dominus vobiſcum* a S. Petro Damiano editus. 83.
Domnus, non Dominus apellandus Pontifex; & Sacerdos celebrans à Diacono, cur? 68.

E

Ecclesiæ Catholicæ tantùm eſt decernere qui ſint libri Canonici. 8.
Eccleſiæ fabricæ ſuper 4. Euangelia quaſi ſub totidem Columnas conſtituta. 16.
In Eccleſia quanta cum reverentia verſandum. 80.
Diaconi circumeuntes cavebant ne quis immodeſte ſacrum locum violaret. 80.
Edicta, & Cenſuræ Epiſcoporum, & monita in Ambone legebantur in Eccleſia. 45.
Electores Imperatoris ſuper Euangelia jurant. 176.
Enſes deponebantur olim a fidelibus ad Euangelii lectionem: eoſque ſtringebant Equeſtris ordinis Viri. 93.
Enſis qua cæremonia adhibitus à Carolo V. Imperatore in Miſſa coram Pontifice? 94.
Epiſcopi Græci omnes Pallio per abulum utuntur. 100.
Epiſcopi olim indeſinenter ſtolam geſtabant. 64.
Solemniter celebraturi magna pompa Euangelii Codicem ad Altare deferebant. 66.
Epiſcopi aſſurgere debent dum legitur Euangelium. 95.
Mitram quoque deponere. 100.
Epiſcopi munus proprium eſt prædicandi. 133.
In hoc ſtudium præcipuum SS. Epiſcoporum. 161.
Epiſcopus cur in Euangelii lectione inter Miſſarum ſolemnia Baculum inter ambas manus retineat? 91.
Et cum ſpiritu tuo cur à populo reſpondeatur Diacono Euangelium cantaturo? 84.
Euangelia qua lingua ſcripta fuerint? 13.
Euangelia quibus temporibus & locis ſunt exarata? 15.
Euangelia quæ Canonica, & quæ apocrypha? 6.
Euangelia cur quatuor tantum germana? 6.
Euangelia ſunt quatuor columnæ quibus innititur Eccleſiæ fabrica. 17.
Euangelia qua lingua legenda in Miſſa? 31.
Euangelia Dominicarum diebus affixa numquam legi prætermittuntur, niſi in Miſſis Votivis: in quibus tamen præter morem aliter fuit ſervatum ab Alexandro VII. 29.
Euangelia in conferenda extrema

ma unctione adhibita. 217.
Euangelia in exorciſmis legenda. 166.
Euangelii Etymologia, ac definitio. 3.
Euangelii bona quæ ſint ex S. Joanne Chryſoſtomo? 4.
Euangelii vox multiplici ſenſu accipienda. 5.
Euangelii uſus in exorciſmis. 164
Euangelii verba in ordinatione Epiſcoporum obſervabantur. 199.
Euangelii virtus contra animi morbos. 213.
Euangelii initia catechumenis olim expoſita 194. & ſeq.
Euangelii textus cum Chriſti Corpore aſſervatus in ſepulcro hebdomadæ ſanctæ. 140.
Euangelii lectio a pueritia uſitata. 194.
Euangelii lectio ſaluberrima, præſertim Eccleſiaſticis viris neceſſaria. 190. 192.
Euangelii lectio atque explicatio ad diſcernendum ſpiritum præcepta. 203.
Euangelii lectio cur a ſtantibus attente audienda? 104.
Dum ea fit, ſedere quam indecens. 105.
Euangelii Codex magna pompa ab Epiſcopis in Eccleſiam delatus. 66.
Codex Euangelii in Conciliis Generalibus atque etiam Provincialibus honorifice appoſitus. 168.
In Judiciis profanis pro Tribunali adhibitus. 170.
In Purgatione Canonica. 172.
Adhibitus in Juramentis. 175. & ſeq.
Euangelii Codex e lectis Chriſtianorum ſuſpenſus. 205.
Euangelii Codex domi ſervatus Diabolum arcet. 191.
Priſcorum fidelium in hoc præclarum ſtudium. 192.
Euangelii Codex ſupra caput conſecrandi Epiſcopi impoſitus. 177.
Euangelii codex æquo honore habendus ac Chriſti Crux. 136.
Euangelii codex ab Iconoclaſtis etiam in veneratione habitus. 136.
Euangelii codex ſigillo munitus 126.
Euangelii codex muſivo opere expreſſus in Eccleſiis. 126.
Euangelii codex geſtatus in manibus inter concionandum. 130.
Euangelii codex eſt proprius Epiſcopi. 133.
Euangelii codex vita functis conſepultus. 223.
Euangelii codex vetuſtate attritus igne comburendus, & cineres in ſacrario condendi. 186.
Euangelii codex auro gemmiſque ornatus a viris Principibus dono miſſus Pontificibus maximis, vel Epiſcopis. Parte item Euangelii pretioſis incluſa thecis a ſummis Pontificibus donati viri Principes. 181. & ſeq.

Euan-

Euangelii codex a Roſſis in fornacem projectus, ac ſervatus illæſus iiſdem cauſſa eſt converſionis ad Chriſtum. 211.
Euangelii codex tamquam frænum carnales appetitus cohibet. 210.
Euangelii codex aquis demerſus pulchrior educitur. 215.
Euangelii codex cur adoleatur thure ante lectionem in Miſſa? 75.
Euangelii codicem tenentes, eoque fidem profitentes viri ſancti vita functi. 221.
Euangelio Patri lecto filius cæcus viſum recipit. 214.
Euangeliorum plures ſunt libri, ſed unum Euangelium ſunt. 11.
Euangeliorum traditores qui? 224.
Euangeliorum præeminentia ſupra cæteros libros ſacros. 20.
Euangeliorum Auctores qui, & quo ſpiritu ea ſcripſerunt? 7.
Euangelium Græce, & Latine in Miſſa recitatum. 32.
Hebraice item. 33.
A quibus olim in Miſſa legerétur? 34. & 36.
Euangelium triplex cantari ſolitum quibuſdam in Eccleſiis in die Epiphaniæ. 158.
Euangelium in qua olim Eccleſiæ parte legeretur? 42.
Euangelium aureis literis conſcriptum, & gemmis pretioſiſſimis exornatum. 179. Cur? 181.
Euangelium ægrotis impoſitum ad recuperandam ſanitatem. 213.
Euangelium cantatum in Miſſa ab Imperatoribus Carolo IV. & Carolo V. 93.
Euangelium dum auditur in Eccleſia nec genuflectere, nec orare debent fideles. 103.
Euangelium tangere non audent Moſchovitæ niſi prius laverint manus, ſeque Crucis ſigno munierint. 184.
Euangelium quo primum tempore in Miſſa legi cœptum. 23. & ſeq.
Euangelium delatum in Proceſſionibus cum Sanctorum Reliquiis: 137. & ſeq.
In die Paſchatis. 147.
Euangelium oſculandum datur ſemper majori, aut digniori omnium in Miſſa. 124.
Euangelium Epiſcopo celebrante neque Principi neque Cardinali oſculandum præberi debet. 124.
Euangelium legi ſolitum in *Mandato* ideſt ante lotionem pedum fer. v. in Cœna Domini. 144.
Euangelium ſorte apertum lectumque, vel auditum ad indagandam Dei voluntatem, bonumque futurum vel malum prænoſcendum. 196. & ſeq.
Euangelium Romæ olim viſebatur in ſepulcro S. Petri quod corpori ejus erat impoſitum. 223.
Euangelium eſt virtus in ſalutem omni

omni credenti. 214.
Euangelium cur non ſcripſerit ipſe Chriſtus Dominus? 9.
Euangelium cur in altiori loco legatur in Eccleſia? 43.
Euangelium recitari ſolitum in Litaniis Rogationum. 154.
Euangelium ad portas Civitatis Florentiæ lectum. 155.
Euangelium ignem extinguit, & barbaros ad fidem convertit. 211.
Euangelium adulterantes qui eſſent? 227. Cauponarii cur nuncupati? *ibi*.
Euangelium oſculari ſolitum apud Græcos in die ſolemni Paſchæ. 150.
Euangelium, corporis morbos, & animi pellit languores. 112. & *ſeq*.
Euangelium diſcordias ſedat. Tyrannorum impetus comprimit. 216.
Euangelium Corpori Chriſti exæquatum a Patribus. 111.
In eo Chriſtus adeſt, & ſermocinatur. 112.
Euangelium tenens eoque fidem profitens moritur S. Bonifacius Epiſcopus Lauſenenſis. 222.
Euangelium propria Clericorum ſupellex. 188.
Euangelium lotis manibus attrectatum, aperto capite, ſtando, ac lumine adhibito lectum. 183.
Euangelium morientibus lectum. 219.
Euangelium Joannis cur cæteris præcellat? 18.
S. Pius V. Initium ejus tamquam fidei breviarium in fine Miſſæ legendum præcepit. 19.
Euangeliſtis fides adhibenda tanquam ſi Chriſtus ipſe Euangelia ſcripſiſſet. 10.
Cur quatuor fuerint Euangeliſtæ & non potius unus? *ibi*.
Eorum Ordo. 16.
Symbola Euangeliſtarum quæ? 17.
Euchariſtia delata in Proceſſione Palmarum. 140.
Ritus varii eam recondendi in ſepulcro feriæ v. in Cœna Domini. 142. & *ſeq*.
S. Euplius legens Euangelium captus a perſecutoribus, eodemque ad collum alligato martyrium ſubit. 226.
Euſebii Monachi admiranda pœnitentia. 104.
Exorciſmus quid. 165.
Exorciſmi antiquitas in Eccleſia. 165.
Exorciſmi origo a veteri Teſtamento. 165.
Exorciſtatus materia & forma. 164. & *ſeq*.

F

Fidei myſteria multi hodie quamquam ſenes ignorant. 196.
Fidem, quam propria manu deſcribit, ſecum conſepeliri jubet S. Joannes Gualbertus. 221.
Fidem quam moriens profitetur S. Jo-

S. Joannes Colombinus in acta publica redigi curat. 221.
Fœminis legere Euangelium publice in Miſſa vetitum. 39.
Item prædicare, benedicere & Confeſſiones excipere. 41.
Fontes, & Fluvii Orientales olim benedici conſueverunt. 157.
In vinum converſi in die Epiphaniæ. 157.
Franciſca de Serrone Virgo Septempedana. 204.
S. Franciſcus ex apertione libri Euangeliorum didicit ſe vocari ad Chriſti crucifixi expreſſionem. 197.

G

GEntili Bernardus laudatur. 204.
B. Gerardeſca Piſana Tertii Ordinis Camaldulenſis Cælites videt coronis depoſitis ſtantes ad lectionem Euangelii. 118.
Gloria tibi Domine cur reſpondeatur a Populo ad lectionem Euangelii in Miſſa? 86.
Græcæ linguæ uſus olim Romæ communis. 14.
Græca, & Latina lingua Euangelium canitur in Miſſa Papali. 32.
Idem uſurpatur in Conſtantinopolitana Eccleſia. *Ibid.*
Idem obſervatur in Eccleſia Neritina & alibi in Regno Neapolitano. 33.
Græci quos honores præ cæteris exhiberent Euangelicæ lectioni? 96.
Græcorum ritus deferendi Euangelium in Proceſſione Palmarum. 138.
In lotione pedum fer. v. in Cœna Domini. 146.

H

HÆretici ex prava ſua Euangelii expoſitione turpe lucrum metentes. 231. *& ſeq.*
Hæreticorum recentium impudentia in corruptione Textus Euangelici. 127.
Heraclius Imperator ad reſerationem libri Euangeliorum intelligit quo abeundum ſibi eſſet. 197.

I

IMperator Græcorum in die ſolemni Paſchæ ad oſculandum Euangelium lampadem manu geſtans. 150.
Imperator in Matutino Nativitatis Domini ſuperpelliceo indutus, gladio cinctus, & pluviali albo contectus, præſente Pontifice legit Euangelium *Exiit edictum à Cæſare Auguſto* ante 9. lectionem. 38.
Imperatores, & Reges cauſſa Coronationis Romam venientes, & coronati in Baſilica Vaticana, ejuſdem inter Eccleſiæ Canonicos relati. 39.
Imperatoribus quandoq; in Miſſa Euangelium canere conceſſum.

ſum. 37. 38.
Imperatores Orientis Euangelium aureum ad Templum S. Petri Romam, cum aliis donis mittunt. 182.
Imperatores detecto capite audire debent Euangelii lectionem. 117.
Indulgentiæ conceſſæ à Benedicto XIII. iis qui interſunt Benedictioni aquæ in pervigilio Epiphaniæ. 158.
Introitus Euangelii apud Græcos quid ſit? 69.
S. Joannis Euangelii ſupra aliorum præcellentia. 18.
Ejus initium quanti fieri debere. 19.
S. Joannes qua ex Cauſſa ſcripſerit Euangelium? 13.
Quomodo initium ſui Euangelii cœlitus didicerit? 15.
Quanti hoc initium factum eſt? 19.
S. Joannes Calybita adhuc puer a parentibus petit ſibi tradi Euangelium. 194.
S. Joannes Chryſoſtomus vita functus *Pax vobis* ad Populum dixiſſe fertur. 82.
B. Joannes Colombinus fidem, quam moriens profitetur, in acta publica redigi curat. 221.
S. Joannes Gualbertus fidei profeſſionem quam propria manu deſcribit ſecum conſepeliri jubet. 221.
Joannes XIII. Pontifex Campanam miræ magnitudinis benedicit, & in Turrim Lateranenſis Eccleſiæ elevari curat: 160.
Judices in Cauſis dirimendis habere debent ante Sedem Sacros Codices, & cur? 170.
Juramentum fieri conſuetum ſuper Sacrum Jeſu Chriſti Euangelium. 174.
Ab initiandis Militia adhibebatur. 174.
In judiciis ſæcularibus. 174.
A Teſtibus in promotione Epiſcoporum, & Abbatum. 176.

L

LAmpade accenſa legebat in ſua cella Euangelium Sanctus Alexander Patriarcha Alexandriæ. 184.
Laus tibi Chriſte cur reſpondeatur poſt Euangelium in Miſſa, & omittatur in Paraſceve? 120.
Lectio Euangelii olim a pueritia uſitata. 194.
Lectores aliquando in Miſſa Vice Diaconorum Euangelium recitabant. 34.
Cur autem ad hoc non ſint deputati ex officio? 35.
Legilia lignea loco pulvinarium adhibere ad ſuſtentationem Sacri Codicis in Miſſa abuſus eſt ab antiquitate alienus. 76.
Leo III. Papa tenens Euangelia ab objecto crimine ſe purgat. 173.
Lex & Prophetæ typus & Umbra Euangelii fuerunt. 20.
Linoſtima Palla, Stola, & Orarium idem apud Græcos, & La-

Lati nos Patres. 60.
Litaniarum usus, origo, & varia forma. 152.
Majoris, & Minoris Litaniarum differentia, & a quibus institutæ. 153.
S. Lucas qua occasione scripserit Euangelium. 12.
Lumina ac Thus adhibita in Divinis Officiis, ab Apostolis, & priscis Patribus. 71.
In Recitatione Euangelii in Missa. 73.
Luxuria est ignis usque ad perditionem devorans. 211.

M

S. Mamas pastor ovium Codicem Euangelii perpetuo secum deferebat. 226.
S. Mamertus Episcopus Arvernensis litaniarum restitutor, non auctor fuit. 153.
Mandatum, id est lotio pedum a Christo institutum, & in Ecclesia primitus observatum. 144.
Ejus Mysteria. 145.
Manipulus antiquitus erat Mappula, seu Sudarium brachio sinistro alligatum: quando immutatum, ejusque usus & significatio. 58. *seq.*
S. Marcus qua ex Causa scripserit Euangelium? 12.
Scripsit illud Græce. 14.
Publice olim legebatur in Ecclesia. 25.
Marangonus Joannes laudatus. 233.
Mariæ Virgini Deiparæ primò manifestatus est Jesus post Resurrectionem. 148.
Cur id non prius cæteris manifestasse tradatur in Euangelio. 149.
Marini martyrium. 200.
S. Martha legi sibi facit Dominicæ Passionis historiam. 219.
S. Matthæus qua ex Causa scripserit Euangelium? 12.
Scripsit illud Hebraice. 13.
Michael III. Imperator Benedicto III. Pontifici Max. mittit Euangelium auro purissimo tectum cum diversis lapidibus pretiosis. 182.
S. Milas Episcopus semper defert secum Euangelium. 189.
Missæ seu Liturgiæ ritus ab Apostolis brevissimus observatus, auctus subinde precibus, & cæremoniis variis. 25.
Missæ, & Officia Divina Sclavonica lingua celebrare Moravis concessum a Jo. VIII. Rom. Pont. 31. 34.
Id negatum Bohemiæ Duci a S. Greg. VII. *ibi*.
Euangelium cur in Missa legatur post Apostolum? 27.
Missæ, & Dalmatis, & Croatis lingua Sclavonica celebrare vetitum, sed tantum Latina, & Græca. 32.
In Missa Sacerdos pro populo, populus pro Sacerdote vota facit. 85.
Mitræ Episcopalis usus antiquissimus in Ecclesia. 101.
Monachi antiquitus Sacris Codicibus scribendis operam dabant.

bant. 185.
Moſchovitæ quantam exhibeant Sacris Codicibus reverentiam. 187.
Moſchovitæ Euangelium non audent tangere niſi prius laverint manus, ſeque Crucis ſigno munierint. 184.
Mulieres etiam in auditione Euangelii ſtare debent. 103.

N

S. Nicolaum Euangelio donat Conſtantinus Magnus Imperator. 182.

O

OFficia Divina, ac Miſſæ antiquitus prolixiora, & qua ex cauſſa. 89.
Omophorion. Vide Pallium. Differentia Pallii Latinorum, & Omophorium Græcorum. 99.
Orarium idem ac Stola, & palla linoſtima. 60.
Etymon, ejus Origo, & Uſus. 61.
Diaconis proprium. 62.
Orario tum Presbyteri tum Diaconi utebantur extra Eccleſiam. 62. 64.
Pro veſte talari ſumptum. 161.
Oratio non ſedendo, ſed ſtando perſolvenda. 107.
Ordo Sacrorum quæ in primæva Eccleſia fieri ſolebant in Chriſtianorum conventibus. 24.
Ordo Euangeliorum, Lectionum, atque Epiſtolarum in Miſſæ ſacrificio ſingulis diebus præfixus antiquiſſimus. 27.
In Eccleſia Romana is ſervatus juſſu Damaſi Papæ quem præſcripſit S. Hieronymus. 28.
In Eccleſia Orientali Ordo diverſus ſervatus. 28.
Oſculum pacis & charitatis Signum inter antiquos Chriſtianos. 150.
Non promiſcue inter mares, & fœminas, & cur mutatus in oſculum Tabellæ in Miſſa? 151.
Oſculum cur datur libro Euangelii poſt ejus lectionem in Miſſa? 121.
Antiquitus id fiebat etiam a laicis. 122.
Cur Presbyter coram Pontifice, & Epiſcopo, abſtineat ab oſculo Euangelii? 123.
Oſtiariatus materia in quo conſiſtat? 163.
Oſtiarii officium eſt hodie pulſare Campanas. 164.

P

PAllium, ſeu Omophorium deponere ſolebant Epiſcopi Græci in lectione Euangelii. 96.
Quid ſit, & ſignificet; ejus origo & uſus. 97. & *ſeq.*
Ex qua materia ſeu lana conficiatur. 98.
Archiepiſcopis, & Epiſcopis cer-

certis diebus tantum ac locis uſus pallii conceſſus. 99.
Differentia inter pallium, & Omophorion. 99.
Palmarum ſolemnitas apud Græcos. 139.
Ejus origo in Eccleſia Latina. 161.
Paſſionis Dominicæ hiſtoriam Sancti morientes legi ſibi curant. 220. eſt ritus a Romano aliiſque antiquis Ritualibus præſcriptus. *ibid.*
Pax vobis, ſeu *Omnibus*, ritus ſalutandi Populum ab Epiſcopis in Orientali Eccleſia. 81.
Pelagius Papa Euangelium portans coram populo ab objectis criminibus ſe purgat. 45. & 178.
S. Petri Damiani laus ejuſque peritia Eccleſiaſticæ Diſciplinæ. 109.
Petrus Diaconus tuetur famam S. Gregorii, ejus libros ab incendio ſervat: Euangelium tenens moritur. 222.
Perjuri præciſione linguæ puniendi. 175.
Perſecutio Eccleſiæ decima omnium crudeliſſima. 224. & *ſeq.*
Phylacteria quid? 206.
Picturæ veteris & novi Teſtamenti in Templis, Cœmeteriis, ac ſacris Eccleſiæ ornamentis. 232. & *ſeq.*
Pileoli delatio ab Innoc. IV. PP. conceſſa Cantuarienſibus Monachis ob infirmitatem præter quam vero in lectione Euangelii, & elevatione Corporis Chriſti. 113.
S. Pius V. moriens ſibi legi jubet Euangelicam Dominicæ Paſſionis hiſtoriam. 220.
Planeta S. Petri religioſe collocata in Templo S. Genovefæ. 51.
Planeta plicata cur Diaconi utantur in Miſſa diebus jejuniorum. 65.
Platonicus quidam Euangelium literis aureis conſcribendum, & in locis eminentiſſimis per omnes Eccleſias proponendum eſſe dictitabat. 180.
Poetarum profanorum libris delectari, crimen in Sacerdotibus. 190.
Pollidorus Petrus laudatus. 33. & 190.
Pontifex temporibus Adventus, & Quadrageſimæ Pluviali rubro utitur & quare. 57.
Pontifex Romanus ſemper utitur Pallio. 98.
Pontifex Romanus ſolus, ob præſtantiam dignitatis ſtola decoratus incedit. 64.
Pontifices, & Epiſcopi purgatione Canonica uſi. 172.
S. Porphyrius Gazenſium Epiſcopus Euangelii Codicem defert in Proceſſione. 137.
Prædicatores Euangelium Chriſti ut gratis exponant decet quammaxime. 227.
Cauſſæ cur Prædicatores ab omni lucro & quæſtu abſtinere debeant. 229.
Præfectus Euangelio quale Officium

ficium in Eccleſia Conſtantinopolitana. 138.
Presbyteri Romanæ Eccleſiæ ſedentes dum Diaconi Euangelium canerent, ab Anaſtaſio Papa emendantur. 95.
Principes perſonæ non ſacro inunctæ oleo vetitæ ne Euangelium oſcularentur ab Honorio III. Diſpenſatum a Paulo III. cum Regina Poloniæ. 123.
Proceſſio in Dominica Palmarum: varii ejus ritus tum apud Latinos tum apud Græcos. 137. & ſeq.
In die Paſchatis ejuſque myſteria. 147.
Pulvinar a ſubdiacono portabatur quod Euangelio legendo ſupponeret. 75.
Abuſus pulvinaria Miſſalium uſui addicta genibus, cubitiſve ſupponendi deteſtatur. 76.
Pulvinaria quid erant apud Gentiles. 76.
Irreligioſa prope levitas Matronarum holoſerica auro texta pulvinaria adhibentium in Eccleſiis. 76.
Purgatio Canonica quid ſit? 171.
Quot modis peragi ſolita. 172. & ſeq.
Compurgatores qui eſſent. 173.
Quæ Purgationes inhibitæ à ſacris Canonibus. 174. Vide Pontifices.
Purgatio de objectis criminibus delato Euangelio ſuper Ambonem fit a Pelagio Papa. 45.

R

REges Franciæ, & Siciliæ in Miſſa Papali canunt, ſeu legunt Epiſtolam. 37.
Reges Gallorum in multis Regni ſui Templis Canonicorum numero adſcripti. 39.
Ritus varii a Diacono olim obſervati ante recitationem Euangelii in Miſſa. 69. 70.
Ritus ab Epiſcopo ſervati in Concionando. 130.
Ritus ſtandi ad tria Euangelii Cantica, ac toto Divini Offici tempore juxta veterem Eccleſiæ morem. 106.
Aperiendi Caput dum legitur Euangelium. 110.
Ritus varii condendi Corpus Chriſti Dom. in ſepulcro. 142.
Ritus benedicendi campanas. 161.
Ritus ſtandi quo tempore Euangelium nuntiatur. 94.
Ritus varii in Eccleſia Latina, & Orientali in Eccleſiaſticis Officiis celebrandis. 92.
Ritus benedicendi Aquam in pervigilio Epiphaniæ obſoletus reſtitutus a Benedicto PP. XIII. 155.

S

SAcerdotes ſeptem adhibiti apud Græcos in miniſtranda extrema unctione. 217.
Sacra omnia vaſa, veſtes, & Miſſalia ſordida, vetuſtate attrita, & obſoleta, quam indigne

gne adhibeantur in Ecclesiis. 187.
Sandaliorum usus penes Ecclesiæ Ministros & eorum forma describitur. 54.
Sanitas obest multis. 213.
Scripturæ Divinæ non quavis lingua legendæ, & cur? 32.
Sebastianus Pauli Cleric. Matris Dei laudatur. 33. 92. 158.
Sedere dum nuntiatur Euangelium omnibus vetitum. 95.
Sedere dum Divina Officia persolvuntur incongruum. 106.
Multo minus Laicis convenit. 108.
Sepulcri Dominici memoria cur ab Ecclesia peragatur feria V. Cœnæ Domini. 140.
Sigillo Codex Euangelii muniebatur. 125.
Et cur? 126.
Sigismundus Imp. in habitu Diaconi Euangelium legit in Missa Papali. 38.
Silentium indictum in lectione legis apud Hebræos per Levitas, atque per Diaconos in Ecclesia ante Euangelii recitationem. 77.
Perpetuo servandum in Ecclesia. 78. & seq.
Simeonis Thessalonicensis error notatur. 218.
Statio ad S. Mariam Majorem in Urbe cur in die Paschæ celebretur? 149.
In Stationibus Euangelium cantabatur a Diaconis Regionariis. 150.
Stola Sacerdotalis in quo differat ab Orario Diaconorum. 62.
Stolæ forma, & varius usus in Diaconis. 59. & 60.
Subdiaconi aliquando in Missa Euangelium legebant loco Diaconi. 34.
Supellex sacra profanis insignibus non exornanda. 235. & seq.
Superstitiones nonnullæ pravorum hominum malitia in Euangelii S. Joannis lectione quotidiana excogitatæ. 20.

T

S. Thadæus Apostolus aurum a Rege oblatum respuit. 231.
Theodosius magnus Imperator Euangelium literis aureis propria manu descriptum quotidie lectitabat. 179.
S. Theophila Euangelii virtute a castitatis naufragio liberata. 208.
Thomæ a Kempis libellus aureus. 197.
Thuris usus in Ecclesia reprobatus ab hæreticis: approbatur a sacris Scripturis, & Patribus. 72.
Cur etiam populus thure adolatur? 75.
Tituli Euangeliis a quibus præfixi. 8.
Totilam crudelissimum Pelagius Euangelii codice ad mansuetudinem adducit. 216.
Traditores appellati qui sacros Co-

Codices ethnicis Magistratibus deferebant. 225.

V

Verbum caro factum est, dum legitur in Missa genuflectendum, & cur? 105.
Monachus genuflectere omittens, dum in Missa legitur, *Verbum Caro factum est*, a diabolo post alapæ percussionem increpatus est. *ibi.*
Vestem talarem sine intermissione deferre tenentur Sacerdotes. 62.
Vestes sacræ in divino ministerio perperam ab hæreticis improbatæ. 50.
Vestibus sacris ut Sacerdotes & Diaconi numquam nisi in Ecclesia uterentur constituit S. Stephanus Papa. 52.
Vestibus sacris usi sunt Apostoli in divinis officiis. 51.
Vestes sacræ ab initio Ecclesiæ adhibitæ in ministerio Ecclesiæ. 51. 52.
Vestes sacræ historiis veteris novique Testamenti exornatæ. 234.
Vestes profanæ mulierum per summum abusum sacris imaginibus intextæ damnantur, 237.
Vestis S. Joannis Euangelistæ S. Gregorio PP. dono transmissa. 52.
Veteris ac novi Testamenti historiæ Ecclesiis olim ac Cœmeteriis pictæ. 232. & *seq.*
Victor Episcopus Africanus Traditor Codicis Euangeliorum. 226.
Virginitas Euangelio servata. 208.
Vitalianus Papa a Constante Imperatore Euangeliorum libro donatus, gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu exornato. 182.
Usus segregandi in Ecclesia Viros a Mulieribus antiquissimus, atque laudatissimus. 47.
Restitutus a Ven. Card. Tomasio in suo Titulo Equitii. Mox post ejus mortem sublatus. 49.

Z

ZEnone Imperatore repertum est corpus S. Barnabæ Apostoli cum Euangelio ad pectus ejus apposito. 223.
Zona. Vide Cingulum.



MAG 20

2-2-1 (1-7-1-2)